



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>




AH 9662.5

HARVARD COLLEGE  
LIBRARY

FROM THE FUND OF  
MERICK ATHEARN LANE  
OF NEW YORK  
Class of 1849







0

**FASTI**

**HISPANIARUM PROVINCIARUM**

---

**DISSERTATIO INAUGURALIS**

**QUAM**

**AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO**

**PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI**

**RITE IMPETRANDOS**

**SCRIPSIT**

**DETLEVIUS WILSDORF**


**CROTTENDORFIENSIS**

**LIPSIÆ**

**SUMPTIBUS S. HIRZELII**

**MDCCCLXXVIII**

AH 9662.5



Lane fund

N

## V I T A

---

Natus sum Detlevius Wilsdorf a. d. IV Kal. Dec. anni MDCCCLIV in vico Saxoniae, cui nomen est Crottendorf, prope Annabergam sito, Hermanno patre, matre Mathilda e gente Ungeriana. Pater mihi quinque annos nato morte ereptus est, matris in educando egregiae curae quantum debeam, non possum edicere. Evangelicae addictus fidei primis litterarum elementis in schola vici illius imbutus sum. Ab undecimo vitae anno usque ad decimum quartum scholae realis Annabergensis fui discipulus, inde gymnasium Chemnitiense me excepit, ubi Straumer me et Vogel scholae rector, magistri carissimi, ad studia academica summa diligentia instruxerunt. Anno MDCCCLXXIV Universitatis Lipsiensis civis factus philologiae classicae operam dedi et per quattuor annos virorum doctissimorum interfui scholis: Arndtii, Curtii, Ebertii, Ecksteinii, Fritzschi, Heinzii, Hermanni, Langii, Lipsii, Overbeckii, Ribbeckii, Ritschेलii, Voigtii, Zarnckii. Quibus viris, inprimis Langio optime de me merito, maximas nunc ago gratias semperque gratissimam eorum retinebo memoriam.

---






**FASTI**  
**HISPANIARUM PROVINCIARUM**

**SCRIPSIT**

**DETLEVIUS WILSDORF**



## PRAEFATIO

Hispaniarum rei publicae liberae provinciarum praesides, quorum quidem memoria vel veterum scriptorum testimoniis vel nummis vel inscriptionibus conservata est, quoniam temporis ordine enumerare constitui, ne saepius eadem ad singulos homines adnotare cogerer, pauca quaedam praemittenda existimavi.

Ac primum quidem, quonam anno Hispania provincia Romana facta sit, quaerendum est. Posteriore quidem tempore exterae nationes ut imperio Romano adiungerentur, in provinciae formam, ut scriptores aiunt, redactae sunt.<sup>1)</sup> De primis autem provinciis, Siciliam dico et Sardiniam et Hispanias, haec loquendi formula non videtur esse adhibita.<sup>2)</sup> Neque mirum est, quoniam eo tempore, quo terrae illae a Romanis occupatae sunt, provinciae vocabulum eam vim, quam postea in eo inesse videmus, nondum habuit. Est enim posteriore tempore provincia terra externa Romanis stipendiaria, certis finibus descripta, certis legibus per magistratus annuos administrata, ut e Ciceronis aliorumque in primis iuris consultorum libris apparet.<sup>3)</sup> Itaque in provinciae formam redigi dicebatur,

---

1) Cf. Liv. ep. 45 Macedonia in provinciae formam redacta est. ib. 93. 102. Caes. b. G. 1, 45. auct. b. Afr. 97. Suet. Caes. 25. Vesp. 8. Tac. Agric. 13. Vell. 2, 39. Graeci scriptores hac fere formula utuntur: ἡ σύγκλητος ἔγνω ἐπαρχίαν εἶναι Ῥωμαίων αὐτήν (τὴν χώραν). cf. Strab. 12 p. 534. 544. 2) Cic. Verr. accus. 2, 1, 2 Sicilia prima omnium — provincia appellata. cf. Solin. 5, 1. Liv. 28, 12, 12 (Hispania) prima Romanis inita provincia, quae quidem continentis sint. 3) Cf. Marquardt, Staatsverw. I, Leipzig 1873, p. 388 sq. Mommsen, Staatsrecht I<sup>2</sup>, Leipzig 1876, p. 50, n. 2. Rechtsfr. zw. Caes. u. Sen., Breslau 1857, p. 3. Lange, Röm. Alterth. I<sup>3</sup>, Berlin 1876, p. 732.

si cui terrae hostibus devictis consilio decem legatorum adhibito imperator ex senatus auctoritate legem certam sive formulam imposuit, secundum quam magistratus annui, qui hunc sequebantur, illam administrabant.<sup>1)</sup> Haec omnia in Sicilia et Hispaniis non uno anno, sed paulatim facta sunt, ut non hoc quaerendum sit, quo illae anno provinciae factae, sed quonam tempore a Romanis occupatae sint et quomodo pedetentim eam formam acceperint, ut provinciae Romanae dici possent. Siciliae quidem partem constat a. 513 a Romanis esse subiectam, quam usque ad annum 527<sup>2)</sup> per quaestorem, h. e. consulum auspiciis, administratam esse veri simile est. Quo temporis spatio quin et terram finibus certis descripserint et vectigalia imposuerint aliaque eiusmodi instituerint, nemini potest esse dubium. Tum demum Sardinia cum Corsica a. 516 occupata et paulo post perdomita utrique provinciae singulos praetores praefecerunt. Quamquam ne tum quidem Siciliae condicio talis erat, qualem Cicero Verrinis orationibus exposuit: bello enim Punico secundo cum regnum Syracusanum a Marcello adiectum esset, Laevinus a. 544 totam insulam pacavit.<sup>3)</sup> Iterum post bellum servile a. 622 res a P. Rupilio compositae sunt atque inde ab illo anno usque ad Ciceronis aetatem in eodem statu videntur permansisse.<sup>4)</sup>

Simillima est Hispaniarum provinciarum condicio. Hic quoque Romanis id primum agendum erat, ut Carthaginenses depellerent, quod, cum iam in eo esset, ut Scipiones fratres a. 542 (?) perficerent, inopinata illa clade omnia Romanis periisse videbantur, donec P. Cornelius Scipio, qui postea Africanus appellatus est, Carthaginensibus expulsis terram Romanis expugnaret. Qui quamquam perdomitam atque plane compositam provinciam successoribus non reliquit, tamen eam administrandi rationem incohavit, quam Romani a. 557 perfecerrunt. Foedus enim cum Gaditanis ictum est<sup>5)</sup>, Italica oppidum

1) Marquardt l. l. p. 340. 2) Cf. Mommsen, Staatsr. II, 1<sup>2</sup>, Leipz. 1877, p. 189 sq. Marquardt, Staatsverw. I, p. 339. 3) Liv. 25, 23—31. 26, 40. 4) Cic. Verr. accus. 2, 16, 39. cf. Marquardt l. l. p. 91.

5) Liv. 32, 2. cf. Cic. Balb. 15, 34.

conditum<sup>1)</sup>, aliae res institutae, quas singulas scriptores accuratius non enumeraverunt.<sup>2)</sup> Hispaniam a Carthaginiensibus pace post bellum secundum facta Romanis concessam esse, quamquam admodum breviter scriptores eam rem tractant, tamen manifestum est.<sup>3)</sup> Neque vero successores Scipionis quaestores fuerunt ut in Sicilia, neque praetores, sed, quoniam res consulari imperio exercituque indigere videbatur, bini privati consulari imperio instructi a populo missi sunt, dum ex a. 557 novi bini praetores crearentur, quorum primi pacatas iam provincias certis finibus circumscribere iussi sunt.<sup>4)</sup> Quodsi quis tum demum Hispanias provincias factas esse vult, equidem non acrius adversabor; sed lege illa, quam supra diximus, factum id esse nego, quoniam res permultae iam antea compositae erant<sup>5)</sup> neque decem legatorum ut posteriore tempore mentio fit.<sup>6)</sup> Perfectum autem ne tum quidem esse puto rerum provincialium ordinem; nam ut de rebus a M. Porcio Catone a. 559 et a Ti. Sempronio Graccho a. 574/5 institutis taceam neque ea, quae ad annum 583 de vectigalibus Hispaniarum adnotabo, hic exponam: magna erat provinciarum perturbatio bello Lusitano Numantinoque orta, quare P. Cornelius Scipio Aemilianus a. 621 una cum decem legatis pleraque

1) App. Ib. 38. Flor. 2, 17, 7 (Scipio) stipendiariam nobis provinciam fecit. 2) Pol. 11, 33, 7 *συντέλειαν ἐπιτεθεικῶς τοῖς κατὰ τὴν Ἰβηρίαν ἔργοις*. ib. 8 *πάντα τὰ κατὰ τὴν Ἰβηρίαν διατάξας*. 3) Liv. 30, 16, 10 Hispania abstineant. cf. 30, 37. 43. App. Lib. 54. 65. Pol. 15, 18 Dind. Eutr. 3, 21. 4) Liv. 32, 27 extr. 28 extr. cf. Pompon. Dig. 1, 2, 2, 32. Appianus quidem (Ib. 38) ut in Sicilia inde ab a. 513 (Sic. 2. Lib. 135), ita in Hispaniis inde ab a. 548 (i. e. Ol. 144. cf. Pol. 1, 3, 1. 3, 16, 7. App. Ib. 4). *ἐτησίους στρατηγούς* fuisse dicit, quod, si *στρατηγός* ut solet praetor dicitur, minus verum est. 5) De re frumentaria a. 551. primum commemorata cf. Marquardt, Staatsverw. II, Leipz. 1876, p. 110; de nummis a. 559 laudatis ib. p. 22; de metallis ib. p. 245. 6) Cf. Marquardt l. l. p. 341. Mommsen, Staatsr. II, 1<sup>2</sup>, p. 656 sqq. Marquardt v. d., cum Hispanias a. 557 in provinciae formam redactas esse censeat propterea, quod tum praetores primum missi sunt (Staatsverw. I, p. 99 sq.), miror, quod non idem argumentum ad Siciliam et Sardiniam attulit, quarum alteram a. 513, alteram a. 523 provinciam factam esse arbitratur (cf. tabulae eius I, p. 330 sqq.).

denuo constituit. Denique Pompeium post bellum Sertorianum rerum ordinem restituuisse videbimus. Id tantum Romani per totum rei publicae liberae tempus tenuerunt, ut Hispaniae essent duae, citerior et ulterior<sup>1)</sup>, per annos paucos 583—586 propter bellum Macedonicum coniunctae, quarum fines accurate definiri non possunt, nisi quod saltum Castulonensem utramque distinxisse veri simile est.<sup>2)</sup> Capita Hispaniarum erant inprimis duo: citerioris Carthago nova, ulterioris Corduba; sed accedunt hic Gades, Tarraco illic, de quarum urbium conditione quae scitu digna sunt inveniuntur in Corporis Inscriptio- num Latinarum volumine altero. Solebant in illis, nisi bella avocarent, imperatores Romani iuris dicendi causa commorari ac plerumque quidem per hiemem.

Sed iam de Hispaniarum praesidum imperio ac titulo pauca dicamus. Praesides dicimus vocabulo rei publicae liberae temporibus inusitato, sed nunc a viris doctis usurpato<sup>3)</sup> eos, qui ab a. 536 usque ad annum 723 imperium in Hispaniis obtinuerunt exercitibusque praefuerunt. Horum autem hominum propter imperii ius diversum genera quaedam esse distinguenda vel ex iis quae modo exposuimus apparet. Primo enim anno habemus consulem, qui fratrem legatum cum exercitu misit, proximis annis eundem imperio prorogato proconsulem. Post Scipionum cladem sequitur a. 543 proprætor, de quo parum traditum est. Deinde autem P. Scipio Publii filius missus est ex plebiscito privatus imperio consulari. Eodem imperio successores eius usque ad annum 556 usos esse viri docti consentiunt<sup>4)</sup>: omnes enim Livius proconsules appellat, quamquam nemo eorum antea consul, unus tantum prætor fuit, et aliquotiens certe plebiscitum commemoratur, ex quo missi aut revocati sunt aut imperium iis prorogatum est.<sup>5)</sup> Iam secuntur

---

1) Quod Pompeius post consulatum alterum Hispaniae tribus regionibus tres legatos praefecit, ex suo arbitrio instituit (Caes. b. c. 1, 38).  
 2) Cf. Marquardt, Staatsverw. I, p. 101. 3) Cf. Mommsen, Staatsr. II, 1, p. 230. 4) Mommsen, Staatsr. II, 1<sup>2</sup>, p. 632 sqq. Marquardt, Staatsverw. I, p. 100 sq. Lange R. A. I<sup>3</sup>, p. 745. 5) Cf. Mommsen l. l. p. 633, n. 3.

praetores inde ab a. 557 usque ad Sullae dictaturam, qui dubitari potest fuerintne omnes secundum annorum praecedentium consuetudinem praetores consulari imperio<sup>1)</sup> an ii solum, quos Livius aliique scriptores proconsules appellant, quamquam certam eius nominis rationem desideramus.<sup>2)</sup> Neque fasti triumphales constantem proconsulis titulum praebent<sup>3)</sup>, inscriptiones autem et nummi admodum pauca conservata sunt.<sup>4)</sup> Quare Mommsenus praetores et propraeores Hispaniarum praesides ubi dicuntur, factum id esse dicit, non ut imperium titulusque significaretur, sed ut comitiis praetoriis eos creatos esse intellexeretur. Sed habeo quod opponam. Consentaneum enim est eos, qui consulari imperio utebantur, et duodenos lictores habuisse et exercitum consularem. Atqui Livius nonnullis annis in utraque provincia singulas tantummodo legiones fuisse demonstrat; idem, Cato cum in Hispaniam citeriorem consul mitteretur, tum iam consulari et duce et exercitu opus fuisse aperte dicit; Plutarchus autem, quod L. Aemilius Paulus duodecim fascas gerebat, ut insolitam rem laudat. Unde hoc certe sequitur non omnes, qui praetoriis comitiis creati erant, consulari imperio fuisse. Hoc autem an alio usi sint imperio singuli, qui praeter eos, quos diserte proconsules dictos habemus, Hispanias administraverunt, certis argumentis constitui nequit. Sed haec quidem hactenus.<sup>5)</sup> Iam si universum prae-

---

1) Lange l. l. p. 782. Mommsen l. l. p. 628; qui v. d. quoniam lege a. 557 id sancitum esse putat, si recte negat (p. 630) praetorem consuli adiutorem datum consulari imperio usum esse, statuendum erit P. Manlio praetori, qui cum Catone consule in Hispaniam missus est a. 559, imperium extra ordinem esse deminutum. 2) Proconsules Livius decem appellat, unum ex iis A. Terentium Varronem semel propraeorem, praetores complures; duo, quos ipse propraeores dicit, in epitome proconsules vocantur; alii scriptores circiter quattuor proconsules afferunt, qui praetores fuisse videntur. Equidem in fastis hos viros 'procoss.' vocabulo litteris cursivis expresso distinguam. 3) Procoss. M. Helvius (a. 557), Dolabella (656), M. Pupius Piso (685). 4) Cf. C. Annius Luscus (a. 673), Q. Fabius Labeo, M'. Sergius p. 94 sq. 5) Aliarum provinciarum imprimis Asiae proconsules huius generis collectos invenies apud Mommsenum Staatsr. II, 1<sup>2</sup>, p. 629.



sidum Hispaniarum ordinem oculis perlustraverimus, haec potissimum genera inveniemus:

**I magistratu fungentes provincias obtinebant:**

- a) consules, veluti Cato a. 559, Q. Fulvius Nobilior a. 601, denique contra legem Corneliam Cn. Pompeius a. 702.
- b) praetores sive praetorio sive consulari imperio, qui plurimi sunt inde ab a. 557 usque ad Sullae aetatem, e. g. C. Sempronius Tuditanus et M. Helvius ipso anno 557, ultimus, quem afferamus, P. Cornelius Scipio Nasica a. 661.
- c) singulare est, quod a. 689 Cn. Calpurnius Piso quaestor pro praetore senatus consulto in Hispaniam citeriorem missus est.

**II magistratu functi provincias administrabant:**

- a) qui consules fuerant; ante Sullae aetatem P. Scipio, Africani pater, qui primo anno Gnaeum fratrem miserat, proximis annis ipse imperio prorogato bellum ibi gessit; eodem modo complures belli Lusitani Numantinique temporibus. E lege Cornelia proconsul in Hispania fuit Q. Caecilius Metellus Pius a. 675 et Q. Caecilius Metellus Nepos a. 698.
- b) qui praetores fuerant, quibus imperium ita prorogatum est, ut aut praetorio aut consulari imperio essent; ante Sullae aetatem primus C. Claudius Nero, qui a. 542 praetor Suessulam provinciam sortitus erat, a. 543 propraetor est missus; complures Hispanias priore anno praetores, posteriore propraetores per biennium administrabant, id quod a. 574 lege Baebia, quae alternis annis quaternos praetores creari iussit, sancitum, sed paulo post abrogatum est. Eorum autem, qui, postquam praetura in urbe functi sunt, prorogato imperio in provincias mittebantur, id quod post legem Corneliam in omnes cadit, primus fortasse C. Marius fuit a. 641.

III privati cum imperio in provinciam missi sunt:

- a) ex plebiscito, ut solebat, P. Cornelius Scipio a. 544 et successores eius usque ad annum 556 consulari imperio instructi; ex senatus consulto Cn. Pompeius a. 677.
- b) vicarii ab imperatoribus missi vel relictis cum imperio, velut Cn. Scipio a. 536 a Publio fratre missus; item Cn. Pompei legati a. 699 sqq.; Q. Cassius Longinus a. 706 a Caesare pro praetore relictus multique, ut opinor, alii, quorum memoriam rerum scriptores non tradiderunt.

Cn. Pompeium, qui a. 699 lege Trebonia imperium Hispaniarum nactus est, horum generum nulli inserere lubet, quoniam in Hispania numquam fuit neque satis constat, ex quonam tempore imperium eius valuerit. Eius exemplum imitati IIIviri post annum 711 provincias per legatos suos administrabant, primum Lepidus, deinde Octavianus. Ne Caesarem quidem commemorare opus est, qui bis in Hispania a. 705 et 709 bellum gessit, quippe qui paucos tantum menses ibi permanserit. Eum a. 705 proconsulem (Galliae), a. 709 consulem IV (sine collega) et dictatorem III fuisse constat.

Restat, ut de Hispaniarum praesidium in provincias itinere et de decessus reditusque tempore, quae commemoranda videntur, paucis dicamus. Notum est summos Romanorum magistratus inde ab a. 532 usque ad a. 600 iniri solitos esse idibus Martiis.<sup>1)</sup> Per hoc temporis spatium mos erat, ut et consules et praetores, cum magistratum iniissent consulesque primo quoque tempore de provinciis rettulissent, sortitionem provinciarum instituerent, earum videlicet, in quas senatus consules et praetores mittendos esse censuerat, ita tamen, ut consulibus vel sortitione vel pactione uti liceret, praetores utique sortirentur. Eodem tempore senatus de ornandis provinciis decernere solebat, quot in quamque milites novi et in supplementum veterum exercituum essent mittendi. Tum delectus fiebant, quibus perfectis magistratus lege curiata imperium adepti in

1) Liv. 22, 1. cf. 31, 5.

provincias proficiscebantur. Quodsi nullum impedimentum gravius accedebat, id mense fere Maio factum esse probabile est; plerumque autem fiebat paulo tardius. Itaque si ad iter Roma Tarraconem conficiendum mensem fere consumptum esse conicimus, ante mensem Iunium imperatores in Hispania esse non poterant. Exemplum praebet annus 563, quo, cum senatus iam priore anno bellis gravibus imminentibus provincias designasset militesque conscribi iussisset, magistratus novi sortitione facta statim abire poterant; nihilo tamen secius primis demum Mai mensis diebus abierunt, ut Livius tradidit.<sup>1)</sup> Saepe numero autem delectus diutius retardabant magistratus, praesertim si senatu invito maiores copias secum ducere vellent. C. Flaminius a. 561 cum a senatu nihil impetrasset, in Siciliam delectus causa navigasse, deinde in Africa, quo tempestate delatus erat, denique in Hispania ipsa milites collegisse fertur. Quod si recte Valerius Antias narravit<sup>2)</sup>, quam ille sero in provinciam pervenisse credendus est! Primi quidem imperatores navibus Hispaniam sic petebant, ut Luna<sup>3)</sup> vel Puteolis vel ab ostiis Tiberinis<sup>4)</sup> secundum Etruriae et Ligustina litora praeterque Massiliam Emporias navigarent. Quot illa navigatio dierum fuerit, certo dicere nemo potest: C. Laelius Scipionis legatus a. 544 (?) triginta quattuor diebus Tarracone Romam navibus pervenisse dicitur.<sup>5)</sup> Nonnulli non totum iter per mare absolverunt, sed per Etruriam et Ligurum fines pedestri itinere Massiliam petiverunt et Massilia demum Emporias ratibus traiecerunt. Dicitur enim L. Baebius a. 565 per Ligures in itinere oppressus et Massiliae mortuus esse<sup>6)</sup> ibidemque a. 581 N. Fabius Buteo.<sup>7)</sup> Extremo tandem liberae rei publicae saeculo totum iter cum exercitu facile pedibus confici potuit. A. enim 632 Gallia Narbonensi provincia facta inde a Narbone super Pyrenaeos montes via militaris, quae Domitia dicitur, munita est.<sup>8)</sup> Quid quod Ciceronis aetate etiam in ulteriorem

1) Liv. 35, 41. cf. 36, 3, 14.      2) Liv. 35, 2.      3) Ib. 39, 21.  
 4) Ib. 26, 19, ubi Scipionis iter accurate descriptum est, qui Emporiis Tarraconem profectus est pedibus.      5) Ib. 27, 7.      6) Ib. 37, 57.  
 7) Ib. 42, 4.      8) Liv. ep. 61. cf. Cic. Font. 4, 12.

Hispaniam pedibus ire solebant, ut, si quis navigaret, id non sine certa causa fecerit.<sup>1)</sup> Ac Caesarem quoque a. 708 Roma Tarraconem pedestri itinere contendisse narrant et eum quidem quattuor et viginti diebus<sup>2)</sup> vel viginti septem<sup>3)</sup>, quam celeritatem magnopere Appianus admiratur, recte ac merito id quidem; illud vero quod βαρυτάτῳ στρατῶ Caesarem iter illud fecisse addit, humanae naturae modum excedit.<sup>4)</sup>

Considerantibus nobis iam omnes eiusmodi itineris difficultates mirum esse non potest, quod apud Livium plerumque res ab Hispaniarum praesidibus gestas narrari videmus, postquam de eorum successorum sortitione et discessu certiores facti sumus, et quod successores, ubi in provincias pervenerunt, statim in hibernis milites collocasse plerumque audimus.<sup>5)</sup> Possum plura eiusmodi exempla proferre, sed duo attigisse satis erit. Sex. Digitius et P. Cornelius Scipio Nasica a. 560 provincias sortiti erant, quod Livius narrat libri XXXIV c. 43. Idem initio proximi libri bella ab iis cum Iberis principio anni 561 gesta refert, cum eodem anno C. Flaminium et M. Fulvium successores iis factos esse supra exposuerit. Alterum hoc est, quod apud Livium a. 574 factum legimus: Q. Fulvius Flaccus in Hispania citeriore proconsul, quia Ti. Sempronius Gracchus successor tardius adveniebat, Celtiberis bellum intulit et, cum Gracchus, qui subito advenerat, eum ante diem certam Tarraconem exercitum ducere iussisset, reditu praecipiti instituto a barbaris paene oppressus est.<sup>6)</sup> Cui rerum ordini bellis gerendis minime idoneo quod tandem finis impositus est, non potuit non esse magno provinciali administrationi emolumento. Causam rei novandae praebuit ipsa Hispania. Bellum enim magnum ibi exortum erat, ad quod celeriter, priusquam latius serperet, depellendum senatus decrevit, ut

---

1) Cic. Vat. 5, 12. 2) Suet. Caes. 56. 3) App. b. c. 2, 103. cf. Dio 43, 32 μετ' ὀλίγων — ἐπιήλθε. Oros. 6, 16. 4) Quantum distent Padus flumen et Rhodanus, Emporiae et Corduba et inter se et a Roma, videmus apud Pol. 3, 39, 4. Itin. Ant. p. 139. 190 sqq.; reputemus autem apud Caesarem itinera viginti passuum millium iam magna dici. 5) Cf. Liv. 39, 21, 10. 6) Liv. 40, 39 sq.

consules anni 601 idibus Ianuariis magistratum inirent alterque eorum quam maturissime cum exercitu in Hispaniam proficisceretur.<sup>1)</sup> Hinc ille dies in futurum quoque tempus constitutus est, quo magistratus curules inirentur.

Iam ad fastos ipsos conficiendos aggrediamur, in quibus statim animadvertes binorum praesidum indice coniunctorum priorem quemque citerioris provinciae esse, posteriorem ulterioris; rationem illam ubi sequi non potui, provinciam primis vocabulorum 'citerior' et 'ulterior' litteris indicavi.

## FASTI HISPANIARUM PROVINCIARUM

a. u.

536—542 P. Cornelius L. f. Scipio cos. procos.  
(543?).

Cn. Cornelius L. f. Scipio legat. (*imperat.*)

Pol. 3, 40, 2. Ῥωμαῖοι δὲ κατὰ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς διακούσαντες μὲν τῶν ἑξαποσταλέντων εἰς Καρχηδόνα πρεσβευτῶν τὰ δεδογμένα κατὰ τοὺς ῥηθέντας λόγους, προσπεσόντος δὲ Θᾶσσον ἢ προσεδόκων Ἀντίβαν διαβεβηκέναι τὸν Ἰβηρα ποταμὸν μετὰ τῆς δυνάμεως, προεχειρίσαντο πέμπειν μετὰ στρατοπέδων Πόπλιον μὲν Κορνήλιον εἰς Ἰβηρίαν, Τιβέριον δὲ Σεμπρώνιον εἰς Λιβύην. cf. 5, 1, 4. Liv. 21, 17. Flor. 2, 6, 36. App. Ib. 14. Zon. 8, 23.

P. Cornelius Scipio consul primo anno non ipse in Hispaniam profectus est, sed Gnaeum fratrem misit mense fere Octobri.<sup>2)</sup> Proximo anno ipse imperio prorogato advenit<sup>3)</sup>; tum usque ad a. 542 deinceps ambobus imperium prorogatum esse testatur Livius.<sup>4)</sup> Legatus proconsulis erat Ti. Fonteius

1) Liv. ep. 47. 2) Liv. 21, 32. Pol. 3, 76 καταλειφθεῖς — στρατηγός. App. Ib. 14 καὶ πρεσβευτὴν αὐτῶ συνέπεμπον. 3) Liv. 22, 22. App. Ib. 15. Hann. 5 (falso). 4) 23, 26. 48. 24, 41. 48. 25, 3 Hispaniae P. et Cn. Corneliis (prorogatae). cf. 26, 2 quem cum imperio mitti placeret in Hispaniam ad eum exercitum, cui Cn. Scipio imperator praefuisset. cf. Mommsen, Staatsr. II, 1<sup>2</sup>, p. 633 n. 1.

Crassus.<sup>1)</sup> Post Scipionum interitum militibus assentientibus vel iubentibus L. Marcius Septimus centurio summam imperii accepit, qui cum litteris ad senatum missis se ipse proprae-  
torem appellasset, non comprobatus esse dicitur.<sup>2)</sup> Livius errasse videtur, quod Scipionum mortem in annum 542 contulit.<sup>3)</sup> Ipse<sup>4)</sup> enim ad illum annum adnotat: 'Eadem aestate in Hispania cum biennio ferme nihil admodum memorabile factum esset', quamquam inter ea quae antea et tum in Hispania facta esse narrat, non plus quam annus 541 intercedit. Exposuit autem antea Carthaginenses compluribus proeliis victos ad opprimendum Syphacem, qui Romanorum amicitiam amplexus esset, Massinissae auxilio usos esse.<sup>5)</sup> Quod ad bellum in Africa gerendum Hasdrubalem ex Hispania arcessitum esse Livius quidem non tradit, sed Appianus disertis verbis<sup>6)</sup>, ut gravius iam bellum fuisse videatur.<sup>7)</sup> Deinde 'anno octavo' inquit Livius<sup>8)</sup>, 'postquam in Hispaniam venerat Cn. Scipio est interfectus.' Mira sane ista ratio est, si Gnaeus a. 536 in Hispaniam venit et mortuus est a. 542, quorum utroque termino adiecto unde tandem plus septem anni efficiuntur? Neque semel numerum illum, sed bis apud Livium legimus; paulo enim post L. Marcius 'invictos per octo annos in his terris milites' appellat.<sup>9)</sup> Tertiam denique difficultatem L. Marcii imperium nimis longum praebet, cuius litterae iam principio anni 543 in senatu recitatae esse dicuntur, nihilo minus post captam demum Capuam successor mittitur. Quamquam, cum Hannibal ad urbem progressus esset, milites sub vexillis in supplementum Hispaniae mitti audivit.<sup>10)</sup> Nonne potius dux militibus erat dandus, cum Marcium proprae-  
torem sese appellare senatus moleste tulisset? At Marcii virtute Hispania

---

1) Liv. 25, 34. 2) 25, 37. 26, 2. 3) 25, 32 sqq. 4) l. l.  
5) 24, 48 sq. 6) Ib. 15. 16 μέχρι Καρχηδόνιοι μὲν ὑπὸ Σύφακος τοῦ τῶν Νομάδων δυνάστου πολεμούμενοι τὸν Ἀσδρούβαν καὶ μέρος τῆς ὑπ' αὐτῶ στρατιᾶς μετεπέμψαντο — — θέμενοι δ' οἱ Καρχηδόνιοι πρὸς Σύφακα εἰρήνην, αὐθις ἐξέπεμπον ἐς Ἰβηρίαν Ἀσδρούβαν μετὰ πλείονος στρατοῦ.  
7) Quod Mommsenus de crudelitate Poenorum dicit (R. G. I, 627), sumpseritne e Diodori fragmento (26, 23 Dind.)? 8) 25, 36. 9) 25, 38. 10) 26, 11.

aliquamdiu tranquilla facta erat.<sup>1)</sup> At Livius ipse Pisonis testimonium affert, quo Quadrigarii et Valerii Antiatis de Marcii facinoribus mendacia deteguntur.<sup>2)</sup> Huc accedit, quod Eutropius et Orosius Scipionum interitum post Hannibalis ad urbem accessum rettulerunt. Itaque recte Mommsenus Beckeri sententiam secutus a Liviana traditione recedit.<sup>3)</sup>

543 (— 544?). C. Claudius Nero propraetor.

Liv. 26, 17. Romani patres perfuncti quod ad Capuam attinebat cura C. Neroni ex iis duabus legionibus, quas ad Capuam habuerat, sex millia peditum et trecentos equites, quos ipse legisset, et socium Latini nominis peditum numerum parem et octingentos equites decernunt. eum exercitum Puteolis in naves impositum Nero in Hispaniam transportavit. cf. App. Ib. 17. Zon. 9, 7. Front. strat. 1, 5, 19.

543 (? 544) P. Cornelius P. f. Scipio procos. ex plebiscito.  
— 548.

M. Iunius Silanus propraetor ex senatusconsulto. Liv. 26, 18. iussi deinde inire suffragium ad unum omnes non centuriae modo sed etiam homines P. Scipioni imperium esse in Hispania iusserunt. — ib. 19. M. Iunius Silanus propraetor adiutor ad res gerendas datus est. — ib. 20. Aestatis eius extremo, quo capta est Capua et Scipio in Hispaniam venit. cf. Pol. 10, 2. App. Ib. 18. Flor. 2, 6, 37. Eutr. 3, 15. Zon. 9, 7.

Falso Appianus M. Claudium Marcellum una cum C. Claudio Nerone in Hispaniam missum esse narrat, quod inde apparet, quod idem Marcellus Syracusis dirutis, cum exitu anni Romam pervenisset, consul III in annum 544 creatus est.<sup>4)</sup>

---

1) 25, 39 extr. 2) l. l. 3) Mommsen, R. G. I, 627 sq. Becker: Vorarbeiten zu einer Gesch. des 2. pun. Krieges ap. Dahlmann: Forschungen II, 2. — E Polybii historia de Scipionibus nihil relicum est nisi fragmentum a Suida s. v. *κανθήλιος* conservatum, quod cum Liv. 25, 36 concinit. cf. Pol. 9, 11 (a. 541) qualem Hasdrubal (Gisc.) in Indibilem se praebuerit. 4) Liv. 25, 40. 26, 21 sq. Marcellum cum Marcio Appianum confudisse (Keller: Der 2. pun. Krieg u. seine Quellen, Marburg

Nero autem cum Livii et Appiani testimoniis extrema fere aestate anni 543<sup>1)</sup> profectus sit, valde miramur, quod secundum Livium eodem anno ei Silanus successor missus est.<sup>2)</sup> Neque enim singulare putamus negotium Neroni commissum esse, ut copias in Hispaniam transportaret<sup>3)</sup>, quia eodem teste exercitum a Ti. Fonteio et Marcio accepit et bellum contra Hasdrubalem suscepit.<sup>4)</sup> Quodsi inter Illiturgim et Mentissam pugnaverit, ne potuit quidem aut eodem anno aut proximo vere exercitum Silano tradere.<sup>5)</sup> At si Appianum sequimur, qui haec tradit: οὐδενὸς δὲ λαμπροῦ παρὰ τῶνδε γιγνομένου τὰ Λιβύων ὑπερηξάνετο καὶ πᾶσαν σχεδὸν Ἰβηρίαν εἶχον ἐς βραχὺ Ῥωμαίων ἐν τοῖς ὄρεσι τοῖς Πυρηναίοις κατακλεισμένων, ne tum quidem tempus sufficit, addit enim idem: πάλιν οὖν οἱ ἐν ἄστει πυνθανόμενοι μᾶλλον ἐταράσσοντο.<sup>6)</sup> Videtur igitur Nero usque ad a. 544 in Hispania remansisse et quamquam non praeclare rem gesserat, auctoritati tamen eius id non obfuisse videtur; nam cum circumspicerent patres, quosnam consules in annum 547 facerent, 'longe ante alios eminebat C. Claudius Nero.'<sup>7)</sup>

Sequitur iam, ut P. Cornelius Scipio, quem falso Livius et alii comitiis centuriatis proconsulem creatum esse dicunt<sup>8)</sup>, et simul M. Silanus a. 544 in Hispaniam missi sint vel a. 545 eo pervenerint. Hoc enim Polybius testatur, qui libro decimo

---

1875. p. 139 sq.) propter additum 'ἐκ Σικελίας ἄρτι ἀφιγμένον' probabile non est. 1) Liv. 26, 14. cf. 4. 7. (de Capuae expugnatione). 2) 26, 20. 3) Quale erat mandatum Cornelio, ut dum M. Atilius in Corsica bellum gereret, prorogato imperio Sardiniam obtineret. Liv. 41, 21. cf. 27, 7. 30, 1. 32, 26. Quod Becker l. l. p. 118 de ignominia Neroni illata monet, id equidem non urgeam, quamquam Neronem magnae auctoritatis virum fuisse concedo. 4) Liv. 26, 17. cf. Zon. 9, 7. 5) Liv. l. l. Friedersdorff (Livius et Polybius p. 12) expeditionem illam factam esse negat, quia Romanos citra Iberum se continuisse Livius (26, 20, 2) et Polybius (10, 6—7) dicant. Res tum a Nerone gestas consulatus gloria auctas esse minus recte dicit, cum infamiam solum collegisset Nero. cf. Liv. 27, 44 extr. 6) Ib. 17. cf. Lib. 6. Zon. l. l. De Appiani auctoritate et fontibus, quibus in huius temporis rebus enarrandis usus sit, multa praedicat Keller l. l. 7) Liv. 27, 34 cf. 14. 8) Cf. Lange R. A. I, 746.



postquam de Tarenti oppugnatione a. 545 facta dixit, ingenio Scipionis exposito ad narrandam Carthagini novae expugnationem pergit.<sup>1)</sup> Livius autem, qui se non ignorare ait nonnullos illam rem in proximum annum differre<sup>2)</sup>, quoniam a. 543 Scipionem Roma profectum esse credit, non potest a. 544 Carthaginem captam esse non contendere.<sup>3)</sup> Sed si quis ea reputaverit, quae de Nerone diximus, deinde Livium a. 546 Hispaniae nullam mentionem facere nisi prorogatum esse Scipioni et Silano imperium in annum<sup>4)</sup>, tum Hasdrubalem a Scipione victum a. 545, cum iter celerius quam Hannibal perfecisset<sup>5)</sup>, non potuisse a. demum 547 in Italiam pervenire, postremo Florum<sup>6)</sup> Scipionem quattuor annos Hispaniam obtinuisse tradere: nonne Polybium vera referre arbitretur? Unde haec discrepantia orta sit, cum uterque scriptor ex eodem fonte hausisse putetur, non est nostrum hic inquirere.<sup>7)</sup> Sed de a. 548 monendum videtur rerum a Livio et ab Appiano collatarum partem magnam in antecedentes annos esse differendam, siquidem Scipio eodem anno exercitu successoribus vel potius

---

1) Cui rationi convenit, quod Scipionem viginti septem annos natum inducit (10, 6, 10) — Livius (26, 18), Appianus (Ib. 18), Zonaras (9, 7), Eutropius (3, 15) viginti quattuor habent —; atqui a. 536, quo Scipio patrem morti eripuit, septendecim annos natum fuisse constat (Pol. 10, 3, 4. Zon. 8, 23 extr.), ergo non ante 545 in Hispania esse potest. 2) 27, 7. 3) 'quod mihi minus simile veri visum est annum integrum Scipionem nihil gerundo in Hispania consumpsisse.' l. l. 4) 27, 22. Quamquam iam a. 545 prorogatum erat, donec revocati ab senatu forent. cf. 27, 7. 5) Liv. 27, 39 cf. Pol. 11, 1. Mirum est, quod Laelius post Carthaginem captam ante pugnam Baeculensem de Hasdrubalis consilio Romanos iam certiores facit. Liv. 27, 7. cf. Zon. 9, 8. — Beckerum (l. l. p. 142 sqq.) non recte pugnam illam in a. 545 ponere docuit Peter in Philol. VII, p. 175. cf. Mommsen, R. G. I, 633. De duabus pugnis ad Baeculam commissis Keller l. l. contaminationem duarum eiusdem rei traditionum statuit. 6) 2, 6, 39. contra Liv. 28, 16 extr. 'quinto (anno) quam — provinciam et exercitum accepit.' 7) Friedersdorff (qui reliquos libros de fontibus Livii scriptos laudat p. 6), Keller II. II. Communem fontem esse ille dicit librum, aetate Scipionis de rebus ab eo in Hispania et Africa gestis latine scriptum, hic Pisonem aequalem Polybii putat, qui Fabii Pictoris et P. Scipionis Africani filii libros coagmentaverit.

Silano tradito<sup>1)</sup> Romam reversus consul in proximum annum factus est.<sup>2)</sup> Triumphare Scipioni non licuit, quia sine magistratu res gesserat.<sup>3)</sup> Silanum eodem iure eodemque imperio cum Scipione fuisse hunc ipsum Livius modestius quam verius facit profitentem.<sup>4)</sup> Legati Scipionis erant Laelius, quem post Carthaginem captam cum captivis Romam misit<sup>5)</sup>, et Lucius frater, qui bis Romam missus esse dicitur<sup>6)</sup>, et L. Marcius<sup>7)</sup>, quaestor C. Flaminius.<sup>8)</sup>

549—553. L. Cornelius Lentulus }  
549—554. L. Manlius Acidinus } procons. ex plebiscito.

Liv. 28, 38. Haec in Hispania P. Scipionis ductu auspicioque gesta. ipse L. Lentulo et L. Manlio Acidino provincia tradita decem navibus Romam rediit. cf. App. Ib. 38.

In codice ante *provincia* scriptum est *pro*, quod aut cum Madvigio delebis aut in *proconsulibus*, non *propraetoribus* mutandum esse ex iis, quae de Hispaniarum praesidum imperio in praefatione diximus, cognosces. Alter tantummodo L. Manlius Acidinus praetor fuerat a. 543.<sup>9)</sup> Lentulo ob eam causam, quod nondum magistratus fuerat, triumphus non est concessus: aedilis enim in a. 550 creatus est.<sup>10)</sup> Utrique imperium plebiscito datum esse conici potest<sup>11)</sup>, sicut prorogatum est imperium a. 550 plebiscito, a. demum 551 et 552 senatus consulto.<sup>12)</sup> Anno denique 553 senatus per tribunos plebi permisit, ut iis successores mitteret.<sup>13)</sup> Plebiscitum ipsum, quo L. Cornelius Lentulus revocatus est, non est traditum, sed rediisse eum et frustra triumphum petiisse, ovantem autem senatus consulto, ut traditur, re vera plebiscito<sup>14)</sup>, urbem ingressum esse apud

1) Liv. 28, 38. Pol. 11, 33, 8. 2) Cf. Becker l. l. p. 143. Mommsenus in hac tanta rerum copia non offendit (R. G. I, 634). 3) Liv. 28, 38. cf. Val. Max. 2, 8, 1. 5. 4) 28, 38 extr. cf. 26, 19. 5) Pol. 10, 19, 8. Liv. 26, 42. 48. 27, 7. App. Ib. 23. 6) Liv. 28, 3. 4. 17. App. Ib. 29. 7) Liv. 26, 19. 28, 19. 8) 26, 47. 49. cf. Pol. 10, 19, 1 (*ταπεινός*). 9) Liv. 26, 23. 27, 4. 10) 29, 11. 11) Cf. Mommsen, Staatsr. II, 1<sup>2</sup>, p. 633, n. 3. 12) 29, 13. 30, 2. 30, 27, 9. 13) 30, 41. 14) Cf. Lange R. A. II<sup>2</sup>, 630.

Livium legimus.<sup>1)</sup> Lentulus consul factus est a. 555.<sup>2)</sup> L. Manlius, cum a. 555 rediret et iam triumphii honorem a senatu impetrasset, M. Porcius Laeca tribunus plebis intercessit.<sup>3)</sup> Alterum Acidinum aliquot annis post in citeriore provincia inveniemus.

554. C. Cornelius Cethegus procos. H. cit. ex plebiscito.

Liv. 31, 49. Eodem anno C. Cornelius Cethegus, qui proconsul Hispaniam obtinebat, magnum hostium exercitum in agro Sedetano fudit.

De plebiscito, quo Lentulo successor missus est, supra diximus. In a. 555 aedilis curulis creatus simul cum Manlio Acidino plebiscito Cethegus revocatus est.<sup>4)</sup> Ex aedilitate consulatum nactus est a. 556, quod tum haud raro videtur accidisse.<sup>5)</sup>

555 — 556. Cn. Cornelius Blasio }  
L. Stertinus } procos. ex plebiscito.

Liv. 31, 50. et de altero aedile scitum plebi est factum. rogantibus tribunis, quos duos in Hispaniam cum imperio ad exercitus ire iuberent, ut Cornelius aedilis curulis ad magistratum gerendum veniret et L. Manlius Acidinus decederet de provincia multos post annos, plebes Cn. Cornelio [Lentulo] et L. Stertino proconsulibus imperium esse in Hispania iussit.

De prioris nomine Livius ipse sibi contradicit: nam qui hoc loco Lentulus vocatur, idem ubi de reditu mentio fit, Blasio appellatur.<sup>6)</sup> Sed cum in fastis triumphalibus Blasio legatur, quamquam hic quidem quaestor dicitur, haud dubium est, quin priore loco aut ipse Livius errore quodam deceptus aut interpolator Lentuli nomen adiecerit. Confudit eum certe cum eo, qui tribunus plebis erat a. 538<sup>7)</sup>, quaestor 542<sup>8)</sup>, consul 551<sup>9)</sup>, cum Blasio ille a. demum 560 praeturam adeptus sit.<sup>10)</sup> Cornelio et Stertino prorogatum esse imperium Livius

---

1) Liv. 31, 20.    2) 31, 49.    3) 32, 7.    4) 31, 50.    5) 32, 27.  
cf. 32, 7.    6) 33, 27. cf. C. I. L. I, f. tr. a. 558.    7) Liv. 22, 49.  
8) 25, 19.    9) 30, 40.    10) 34, 42.

non diserte dicit, sed cum a. 557 rediisse dicantur, haud aliter res se habere potest. Blasio ovans urbem ingressus est, alter ne ausus quidem est triumphum petere.<sup>1)</sup> A. 558 Stertinus cum aliis legatis in Graeciam missus est.<sup>2)</sup>

557. C. Sempronius Tuditanus } praett. (procos.)  
557 (—559). M. Helvius } procos.

Liv. 32, 27. sex praetores illo anno primum creati crescentibus iam provinciis et latius patescente imperio. ib. 28. Hispanias Sempronius citeriorem, Helvius ulteriorem est sortitus. cf. App. Ib. 39.

De provinciarum finibus in praefatione egimus. Sempronius cum hostibus congressus victus interfectus est<sup>3)</sup>, cuius locum qui legatus aut quaestor in adventum successoris imperium tenuerit, ignoramus. Helvius in ulteriore provincia aegrotus remansit usque ad a. 559; quo cum praesidio eius, qui tum praetor erat, rediens hostes, qui eum in citeriore provincia opprimebant, fudit; quare, quamquam alieno auspicio et in aliena provincia pugnaverit, ovationem adeptus est.<sup>4)</sup> Fastorum triumphalium duo fragmenta, in quorum altero proconsul dicitur, idem testantur.<sup>5)</sup> Illvir a. 560 coloniam Sipontum deduxit.<sup>6)</sup>

558. Q. Minucius Thermus } praett.  
Q. Fabius Buteo }

Liv. 33, 26. praetores deinde provincias sortiti — —  
Q. Fabius Buteo Hispaniam ulteriorem, Q. Minucius Thermus citeriorem. cf. App. Ib. 39.

Imprudens videtur Livius scripsisse M. Helvium Q. Minucio successori provinciam tradidisse<sup>7)</sup>, immo Q. Fabius Buteo ei successit, huic Ap. Claudius, qui Helvio praesidium dedit. Q. Minucius rebus prospere gestis paulo post M. Helvium triumphavit.<sup>8)</sup> Consul a. 561 in Liguria bellum gessit<sup>9)</sup>, legatus in Asiam missus<sup>10)</sup> a. 566 a Thracibus interfectus est.<sup>11)</sup> De Buteone plane siletur.

1) Liv. 33, 27. 2) 33, 35. 3) 33, 25. 4) 34, 10. 5) C. I. L. I, p. 459 et p. 476. 6) Liv. 34, 45. 7) 34, 10. 8) l. l. cf. C. I. L. I, p. 476. 9) Liv. 34, 54. 35, 3 sqq. 10) 37, 55. 11) 38, 41.

559. M. Porcius Cato cos. }  
 P. Manlius praet. }

Ap. Claudius Nero praet.

Liv. 33, 43. L. Valerius Flaccus et M. Porcius Cato consules idibus Martiis, quo die magistratum inierunt, de provinciis cum ad senatum rettulissent, patres censuerunt, quoniam in Hispania tantum glisceret bellum, ut iam consulari et duce et exercitu opus esset, placere consules Hispaniam citeriorem Italiamque provincias aut comparare inter se aut sortiri. — — Cato Hispaniam, Valerius Italiam est sortitus. praetores deinde provincias sortiti, — — Ap. Claudius Nero Hispaniam ulteriorem — —; P. Manlius in Hispaniam citeriorem adiutor consuli datus. cf. App. Ib. 40. Polyb. 19, 1. Nep. Cat. 2. Cic. d. sen. 10, 32. Plut. Cat. 10. Flor. 2, 17, 9. Zon. 9, 17.

Imperium M. Porci Catonis ut consulis maius erat quam praetorum, quorum alterum adiutorem consulis esse senatus voluerat<sup>1)</sup>, ut supra M. Iunium P. Cornelii Scipionis proconsulis; id vero alienum videtur, quod consul praetorem sibi adiunctum in ulteriorem provinciam mittit, Ap. Claudius autem, qui eam rite adeptus erat, exercitum Manlio tradere iubetur, ut est apud Livium: 'Interim P. Manlius praetor exercitu vetere a Q. Minucio, cui successerat, accepto adiuncto et Ap. Claudii Neronis ex ulteriore Hispania vetere item exercitu in Turdetaniam proficiscitur.'<sup>2)</sup> Porro Cato ipse contra Turdetanos profectus, cum in citeriorem provinciam rediret, exercitum in castris praetoris, videlicet P. Manlii, reliquit; supra enim dixerat Livius: 'persoluto stipendio non suis modo sed etiam praetoris militibus'<sup>3)</sup>, non praetorum, quod exspectes. Ergo quid tandem Ap. Claudius praetor, cuius ne verbo quidem mentio fit? Sequitur, ut cum eo exercitu, quem novum secum duxerat<sup>4)</sup>, in pacata provinciae parte commoratus sit. De triumpho Catonis<sup>5)</sup>, qui et fortitudine et dolo praeclare res

1) Cf. praef. p. 69, adn. 1. 2) Liv. 34, 17. 3) 34, 19. 4) 33, 43. 5) 34, 46.

gesserat maximamque Hispaniae partem brevi tempore pacaverat<sup>1)</sup>, et alii auctores complures egerunt et Plutarchus<sup>2)</sup>, qui inimicitias Catonis et successoris eius non praetermittit, quamquam non recte Scipionem magnum dicit, qui Catoni successerit. Manlius paucis annis post iterum praetor in Hispania fuit.

560. Sex. Digitius

P. Cornelius Cn. f. Scipio Nasica } praett. (*propraetor.*)

Liv. 34, 43. Principio anni, quo P. Scipio Africanus iterum et Ti. Sempronius Longus consules fuerunt, — — praetores sortiti sunt. (evenit) P. Cornelio Hispania ulterior, Sex. Digitio citerior. cf. Oros. 4, 20.

Digitius, quem falso Orosius Publium vocat, a. 564 legatus a L. Scipione consule nominatus est.<sup>3)</sup> Scipio is, quem a. 550 nondum quaestorium senatus virum optimum iudicaverat, ex Hispania reversus consulatum primum frustra petivit<sup>4)</sup>, deinde a. 563 consul de Boiis triumphavit.<sup>5)</sup> Dicendum de eo erit ad annum quoque 583, quo Hispanorum patronus erat.

561—564. C. Flaminius

561—562. M. Fulvius Nobilior } praett. (*procos.*)

Liv. 34, 55. provincias deinde consules prius, tum praetores sortiti — — C. Flaminius Hispaniam citeriorem, M. Fulvius Hispaniam ulteriorem. cf. auct. d. vir. ill. 52, 1. Oros. 4, 20.

De postulatione quam C. Flaminius in senatu protulerat in praefatione dictum est; iuvat hic addere, quid senatus praetori responderit: 'Si tumultus in Hispania esset, placere tumultuarios milites extra Italiam scribi a praetore.' Inde Valerii Antiatis de Siciliensi et Africo dilectu narratiuncula.<sup>6)</sup> M. Fulvius Nobilior cum Vaccaeis et Vettonibus et Celtiberis apud Toletum pugnat, quod oppidum citerioris provinciae est.<sup>7)</sup> Proximo anno M. Baebius Tamphilus et A. Atilius Serranus praetores Hispanias provincias sortiti erant, sed cum bellum

1) Cf. Lange R. A. II<sup>2</sup>, p. 194 sq.

2) Cat. 11. cf. Liv. 35, 10.

3) Liv. 37, 4.

4) 35, 10.

5) 36, 40.

6) 35, 2.

7) 35, 7.

in oriente immineret, senatus consulto provinciis permutatis prioris anni praetoribus in Hispania imperium prorogatum est.<sup>1)</sup> Ut anno 554, ita tum alter praetorum altero prior in Italiam rediit, Flaminio iterum a. 563 imperium prorogatum est, eandem quam diximus ob causam belli Antiochini. M. Fulvius ovans urbem ingressus est<sup>2)</sup>, deinde a. 565 consul factus<sup>3)</sup> res Achaeorum composuit<sup>4)</sup>, a. 575 cum M. Aemilio Lepido censor fuit.<sup>5)</sup> Flaminius quoque, cum a. 564 rursus prorogato imperio citeriorem provinciam tenuisset<sup>6)</sup>, a. 567 consulatum assecutus est<sup>7)</sup>, tum viam Flaminiam munivit<sup>8)</sup> et Aquileiam coloniam deduxit.<sup>9)</sup>

563—564. L. Aemilius Paulus praetor procos. H. ult.

Liv. 35, 41. Iam fere in exitu annus erat — itaque de provinciis designatorum magistratum — agitari coeptum est — — item de provinciis praetorum decretum est, prima ut — — (esset), sexta Hispania ulterior. ib. 36, 2. (evenit) L. Aemilio Paulo Hispania ulterior. cf. Plut. Aem. Paul. 4. Oros. 4, 20.

L. Aemilium Paulum praetorem proconsulari imperio fuisse et Plutarchus tradidit et inscriptione omnium Romanarum in aes incisarum vetustissima in Hispania reperta affirmatur, quae edictum continet de libertate oppido cuidam donanda, datum pridie idus Ianuarias anni 564 vel 565.<sup>10)</sup> De tempore enim ambigitur, quia neque annus inscriptione significatur et Paulus biennium in provincia remansit.<sup>11)</sup> Ceterum Pauli vita omnibus notissima est.

565. L. Plautius Hypsaeus } praett.  
 { L. Baebius Dives }  
 { P. Iunius Brutus propraetor.

Liv. 37, 50. praetores deinde sortiti sunt — — L. Plautius Hypsaeus Hispaniam citeriorem, L. Baebius

1) Liv. 35, 20. 23. 2) 36, 21. Idem iisdem fere verbis legitur cap. 39.  
 3) 37, 47. 4) 38, 3 sqq. 5) 40, 45. 6) 37, 2. 7) 38, 42. 8) 39, 2.  
 9) 39, 55. cf. 40, 34. 10) Cf. Huebner et Mommsen in Herm. vol. III, p. 243 sqq. Mommsen R. G. I, 679. 11) Cf. Liv. 37, 2. duas Hispanias Sardiniamque obtinentibus prorogatum in annum imperium est.

Dives Hispaniam ulteriorem. ib. 57. Per eosdem dies, quibus haec gesta sunt, legati Massiliensium nuntiarunt L. Baebium praetorem in provinciam Hispaniam proficiscentem ab Liguribus circumventum magna parte comitum caesa vulneratum ipsum cum paucis sine lictoribus Massiliam perfugisse et intra triduum exspirasse. senatus ea re audita decrevit, uti P. Iunius Brutus, qui propraetor in Etruria esset, provincia exercituque traditis uni cui videretur ex legatis ipse in ulteriorem Hispaniam proficisceretur eaque ei provincia esset.

Nummum L. Plautii Hypsaei descripsit Borghesius.<sup>1)</sup> Praeterea neque de eo neque de Bruto quicquam traditur.

566—567. L. Manlius Acidinus Fulvianus } praett. (*procos.*)  
C. Atinius. } (*propraetor.*)

Liv. 38, 35. praetores inde sortiti sunt: — — L. Manlius Hispaniam citeriorem, C. Atinius ulteriorem sortitus est. cf. Obsequ. 2.

A. 566 consules idibus Martiis magistratum iniisse<sup>2)</sup>, comitia in posteriorem annum habita a. d. XII Kal. Mart.<sup>3)</sup> apud Livium legimus. Hispaniae provinciarum sortitione exceptae sunt; itaque veteribus praetoribus imperium prorogatum est. Quorum nuntios exeunte anno proximo senatus audivit, sed consultationem de militibus in supplementum iis mittendis integram ad novos magistratus reiecit.<sup>4)</sup> De Atinii morte a. 568, cum iam in eo esset, ut novi praetores in provincias proficiscerentur, senatus certior factus ad ulterioris Hispaniae praetorem misit nuntium, qui eum maturare iuberet; sed ille iam profectus erat.<sup>5)</sup> Manlio triumphus denegatus est, quia more maiorum nemo adhuc triumphasset, qui exercitum non deportasset, nisi perdomitam pacatamque provinciam tradidisset successori.<sup>6)</sup> Postea cum Nasica et C. Flaminiu coloniam Aquileiam deduxit<sup>7)</sup>, consul a. 575 factus est.<sup>8)</sup>

---

1) Oeuvres I, p. 267.    2) Liv. 38, 35.    3) 38, 42.    4) 39, 7.  
5) 39, 21.    6) 39, 29.    7) 39, 55.    8) 40, 34 cf. 43.



568 — 569. L. Quinctius Crispinus }  
 C. Calpurnius Piso } praett.

Liv. 39, 8. praetores provincias sortiti sunt — — L. Quinctius Crispinus Hispaniam citeriorem, C. Calpurnius Piso Hispaniam ulteriorem.

Praetores, cum tam tardi in Hispaniam pervenissent, a. 568 nulla re gesta milites in hiberna ducere oportebat<sup>1)</sup>; quid proximo anno fecerint, Livius solus narrat. De rebus ab iis gestis legati T. Quinctius Varus et L. Iuventius Thalna in eunte a. 570 senatui referunt, a quo supplicationes diis et triumphus ipsis decreta sunt.<sup>2)</sup> Atque cum certamen eis ortum esset cum novis praetoribus de deportandis legionibus et utriusque partis patroni essent tribuni plebis, senatus et veteribus et novis praetoribus aliquatenus satisfecit.<sup>3)</sup> Crispinus et Piso triumpharunt<sup>4)</sup> et ille a. 571 colonias Mutinam et Parmam deduxit<sup>5)</sup>, Piso a. 574 consul mortuus est.<sup>6)</sup>

570 — 571. A. Terentius Varro } (*propraetor.*)  
 P. Sempronius Longus } praett. (*procos.*)

Liv. 39, 38. praetores — — sortiti sunt — — A. Terentius Varro Hispaniam citeriorem, P. Sempronius Longus Hispaniam ulteriorem.

His viris imperium prorogatum esse in annum 571 testatur Livius<sup>7)</sup>, ubi A. Terentium cum Celtiberis pugnasse, P. Sempronium diutius morbo implicatum esse narrat. P. Sempronius Longus a. 571 morbo absumptus est, quare senatus aequae atque a. 568 C. Calpurnio Pisoni, ne provincia sine imperio esset, novis praetoribus ut maturarent profectionem imperavit.<sup>8)</sup> A. Terentio Varroni ovatio contigit.<sup>9)</sup>

572 — 573. Q. Fulvius Flaccus } (*procos.*)  
 P. Manlius II. } praett.

Liv. 40, 1. Principio insequentis anni consules praetoresque sortiti provincias sunt. — evenit — Hispa-

1) Liv. 39, 21. 2) 39, 30. 31. De legatis cf. Mommsen, Staatsr. II, 1, p. 676 adn. 3. 3) Liv. 39, 38. 4) 39, 42. 5) 39, 55. 6) 40, 37. 7) 39, 56. 8) 40, 2. 9) 40, 16.

niarum Q. Fulvio Flacco citerior, P. Manlio ulterior. — ib. 18. in Hispaniis prorogatum veteribus praetoribus imperium est cum exercitibus quos haberent, et in supplementum decreta tria millia civium Romanorum, ducenti equites et socium Latini nominis sex millia peditum, trecenti equites. cf. App. Ib. 42. Diod. 29, 28. Oros. 4, 20.

Falso Appianus Flaccum ἕπατον appellat, scribere certe debuit ἀνθυπατον<sup>1)</sup>; idem in temporum rerumque ordine satis negligentem se praebet.<sup>2)</sup> Flacci legati nominantur M. Fulvius frater et L. Minucius<sup>3)</sup>, tribuni militum T. Maenius et L. Terentius<sup>4)</sup>, praefecti socium L. Acilius et C. Scribonius.<sup>5)</sup> Flaccus et successor eius, ut fieri solebat, de militibus deportandis inter se certabant<sup>6)</sup>; triumphavit autem ille et consul creatus est a. 574.<sup>7)</sup> P. Manlius iterum praetor — nam primum a. 559 cum Catone in Hispania citeriore fuerat — cum Lusitanis feliciter pugnavit.<sup>8)</sup> Ad eum M. Fulvio tribuno militum in Hispaniam relegato<sup>9)</sup> a senatu litterae datae sunt, quod certe mirum est, cum illo tempore successorem iam in provinciam pervenisse appareat.<sup>10)</sup> Vix redux factus erat Manlius, cum pestilentia confectus est.<sup>11)</sup>

574—575. Ti. Sempronius Gracchus } praett. (*propr. procoss.*)  
L. Postumius Albinus }

Liv. 40, 35. Hispanias sortiti L. Postumius ulteriorem, Ti. Sempronius Gracchus citeriorem. — ib. 44. In Hispaniis duabus Ti. Sempronio et L. Postumio cum iisdem exercitibus, quos haberent, prorogatum imperium est. cf. App. Ib. 43. Diod. 29, 26. Plut. Ti. Gracch. 1. 5. Flor. 2, 17, 9. Cic. Brut. 27, 104. Oros. 4, 20.

A. 576 uterque proconsul<sup>12)</sup> in templo Bellonae senatui

1) Cf. Liv. 40, 39 proconsul. 2) Cf. Peter, Studien zur röm. Gesch. p. 27. — Keller l. l. (p. 76 adn. 4) p. 40 sqq. 3) Liv. 40, 30. 35. 4) 40, 35. 5) 40, 31. 6) 40, 35 sq. 39 sq. 7) 40, 43. 8) 40, 34. 9) Cf. Lange R. A. II, p. 261. 10) Liv. 40, 41, capite enim praecedenti de Flacci reditu verba facta sunt et proximo Manlius ipse 'nuper' rediisse dicitur. 11) 40, 42. 12) Liv. ep. 41.

de rebus a se gestis refert et paulo post triumphavit.<sup>1)</sup> Gracchum duorum tribunorum illorum patrem bis consulem a. 577 et 591 et censorem a. 585 fuisse nemo nescit. Albinus quoque consulatu a. 581 et legatione in pugna Pydnensi clarus factus est.<sup>2)</sup>

A. 574 lege Baebia sancitum est, ut alternis annis quaterni praetores crearentur.<sup>3)</sup>

576—578. M. Titinius (Curvus?) } praett. (*procons.*)  
T. Fonteius Capito }

Liv. 41, 15. M. Cornelius Scipio Maluginensis Hispaniam ulteriorem — habuit. duo deprecati sunt, ne in provincias irent, M. Popillius in Sardiniam — — P. Licinius Crassus sacrificiis se impediri sollemnibus excusabat, ne in provinciam iret. citerior Hispania obvenerat. ceterum aut ire iussus aut iurare pro contione sollemni sacrificio se prohiberi. id ubi in P. Licinio ita statutum est, et ab se uti iusiurandum acciperent M. Cornelius postulavit, ne in Hispaniam ulteriorem iret. praetores ambo in eadem verba iuraverunt. M. Titinius et T. Fonteius proconsules manere cum eodem imperii iure in Hispania iussi. — cf. Obs. 8.

Cum hoc loco de anno 578 agatur, consentaneum est praetores eosdem anno praecedenti Hispanias obtinuisse. De illo autem anno Livius<sup>4)</sup> nihil perhibet nisi haec: 'et legionem unam cum equitibus trecentis et quinque millia peditum sociorum et ducentos quinquaginta mittere equites in Hispaniam consules ad M. Titinium iussi'; de Fonteio tacet. Quodsi initio anni 577 ad M. Titinium milites mittuntur, iam priore anno eum ibi fuisse oportet. Cuius anni res Livio<sup>5)</sup> narranti accidit, ut cum tres tantum praetores primo die creatos esse nullius nomine adiecto dixisset, postero die M. Titinium Curvum Ti. Claudium Neronem T. Fonteium Capitonem praetores factos esse narret. Provinciarum autem sortitio initio proximi

1) Liv. 41, 6 sq.      2) 42, 1. 44, 41.      3) 40, 44. cf. praef. p. 70.  
4) 41, 9.      5) 40, 59.

libri intercidit; deinde commemoratur iterum Claudius Nero, qui paludatus Pisas in provinciam profectus est <sup>1)</sup>, et M. Titinius praetor, qui in aede Bellonae Ti. Sempronio Graccho et L. Postumio Albino ex Hispania redeuntibus senatum dedit <sup>2)</sup>, ergo praeturam urbanam, non Hispaniam nactus erat. Duos igitur Titinios eo anno praetores fuisse necesse est, quorum alter cognomine Curvi praeditus — eum enim Livius secundo loco dicere videtur <sup>3)</sup> — praetor urbanus, alter alteram Hispaniam provinciam sortitus erat. Utram habuerit, nondum manifestum est; fit autem tertio Livii loco <sup>4)</sup>, quo Celtiberos, qui bello domiti se Ti. Graccho dedissent, pacati mansissent M. Titinio praetore obtinente provinciam, rebellasse refert sub adventum Ap. Claudii; et magis etiam quarto loco <sup>5)</sup>, qui est de quaestione repetundarum propter Hispanorum populorum querelas facta: ‘cum M. Titinio primum, qui praetor A. Manlio M. Iunio consulibus in citeriore Hispania fuerat, recuperatores sumpserunt’. De Titinio igitur nihil reliquum est dubitationis; at ne de Fonteio quidem dubitari potest, quippe cui comitiis praetoriis creato imperium prorogatum esse a. 578 Livius testetur. Utrique praetori illo anno supplementum exercitus miserunt. <sup>6)</sup> Praeterea de iis pauca adnotanda videntur, qui eodem anno provincias Hispanias repudiabant. M. Cornelium Scipionem Maluginensem periurium fecisse et ex Livii verbis supra exscriptis et ex eo cognoscitur, quod postea a censoribus de senatu eiectus est. <sup>7)</sup> Quod factum ita Livius commemorat, ut aut memoriae lapsu aut nimis obscure scribat ‘qui biennio ante praetor in Hispania fuerat’, cum scribere debuisset ‘cui b. a. praetori Hispania obvenerat’. Post Sullae aetatem magistratibus nullo iureiurando adhibito licuisse videtur provinciam administrandam aut accipere aut reicere. <sup>8)</sup>

579. Ap. Claudius Centho praet. H. cit. (*procos.*)

Liv. 41, 26. Celtiberi in Hispania, qui bello domiti

1) Liv. 41, 5. 2) 41, 7. 3) Alteri, quotiescunque postea commemorat, cognomen illud nusquam attribuit. 4) 41, 26. 5) 43, 2. 6) 41, 15. 7) 41, 27. cf. Lange R. A. II, p. 245. 261. 8) Cic. fam. 5, 2, 3. cf. Mommsen, Staatsr. II, 1, p. 207.

se Ti. Graccho dediderant, pacati manserant M. Titinio praetore obtinente provinciam, rebellarunt sub adventum Ap. Claudii. cf. Obsequ. 10.

Comitiorum et provinciarum sortitionis mentio apud Livium hoc anno desideratur. Ap. Claudium et supplicationis honorem reportasse Livius auctor est et ovantem ingressum esse urbem idem Livius <sup>1)</sup> et fasti triumphales testantur. Ulteriorem provinciam quis eo anno habuerit nescimus. Ap. Claudium utramque provinciam administrasse, si praecedentium et proximorum annorum consuetudinem respexeris, verisimile non est. Ex iis autem praetoribus, quorum notitiam ex Livio perceptam habemus <sup>2)</sup>, si quid conicere licet, quominus T. Annium Lusum, qui legatus cum Ap. Claudio Centhone et Cn. Servilio Caepione in Macedoniam missus est a. 582 <sup>3)</sup>, Hispaniam obtinuisse putemus nihil impedit.

580. P. Furius Philus }  
Cn. Servilius Caepio } praett.

Liv. 41, 21. Cn. Servilio Caepioni in Hispaniam ulteriorem et P. Furio Philo in citeriorem tria millia peditum Romanorum, equites centum quinquaginta et socium Latini nominis quinque millia peditum, trecenti equites (decreta).

Philus postea ab Hispanis accusatus est <sup>4)</sup>, Caepio, cuius ad annum 579 mentionem fecimus, a. 585 consul fuit. <sup>5)</sup>

581. (N. Fabius Buteo praet.)

P. Furius Philus propraetor.

M. Matienus praet.

Liv. 42, 1. praetores deinde provincias sortiti sunt — — N. Fabius Buteo Hispaniam citeriorem, M. Matienus ulteriorem. — ib. 4. Ex praetoribus, qui in provincias ierant, N. Fabius Massiliae moritur, cum in citeriorem Hispaniam iret. itaque cum id nuntiatum a Massiliensibus legatis esset, senatus decrevit, ut P. Furius Philus

1) Liv. 41, 28.

2) 41, 25. 28. 42, 9.

3) 42, 25.

4) 43, 2.

5) 43, 11.

et Cn. Servilius, quibus succedebatur, inter se sortirentur, uter citeriorem Hispaniam prorogato imperio obtineret. sors opportuna fuit, ut P. Furius idem, cuius ea provincia fuerat, remaneret.

Matienus simul cum Philo repetundarum accusatus est.<sup>1)</sup>

582. M. Iunius Pennus }  
Sp. Lucretius } praett.

Liv. 42, 10. praetoribus quoque in Hispaniam supplementum petentibus negatum M. Iunio in citeriorem, Sp. Lucretio in ulteriorem.

Hos senatum cum precibus diu fatigassent tandem impetrasse, ut supplementum sibi ad exercitum daretur, in praefatione attigimus.<sup>2)</sup> M. Iunius Pennus a. 587 ad consulatum pervenit<sup>3)</sup>, Lucretius a. 585 sub Q. Marcio Philippo consule in Macedonia pugnavit.<sup>4)</sup>

583 (—584?). L. Canuleius Dives praetor utriusque provinciae.

Liv. 42, 28. his praetoribus provinciae decretae, duae iure Romae dicundo, Hispania et Sicilia et Sardinia, ut uni sors integra esset, quo senatus censuisset. — ib. 43, 2. Hispaniae deinde utriusque legati aliquot populorum in senatum introducti — — cum et alia indigna quererentur, manifestum autem esset pecunias captas, L. Canuleio praetori, qui Hispaniam sortitus erat, negotium datum est, ut in singulos, a quibus Hispani pecunias repeterent, quinos reciperatores ex ordine senatorio daret patronosque quos vellent sumendi potestatem faceret.

Utraque provincia uni praetori commissa est ob bellum Macedonicum. De quaestione repetundarum quae memoratu digna esse videntur paucis commemorabo. Accusati erant M. Titinius (576—578), P. Furius Philus (580—581), M. Matienus (581), quorum primus bis ampliatus et denique absolutus est, reliqui duo in exilium se contulerunt. Patroni erant Hispanorum M. Porcius Cato (559), P. Cornelius Scipio

1) Cf. ad a. 583.

2) Cf. Liv. 42, 18.

3) 45, 16.

4) 44, 7.

(560), L. Aemilius Paulus (563—564), C. Sulpicius Gallus praetor anni 584. Id tantum accusatores perfecerunt, ne frumenti aestimationem magistratus Romanus haberet neve cogeret vicesimas vendere Hispanos, quanti ipse vellet, denique ne praefecti ad pecunias cogendas in oppidis collocarentur. Quo privilegio quanto Hispaniae sors quam reliquarum provinciarum atque imprimis Siciliae praestantior reddita sit, non opus est pluribus demonstrare.<sup>1)</sup> Eodem anno altera Hispanorum legatio Romam venit, cui senatus concessit, ut ex Romanis militibus Hispanisque mulieribus nati Carteiam coloniam Latinam deducerentur<sup>2)</sup>, quam civitatem simili condicione conditam esse atque Italicam exposuit Mommsenus.<sup>3)</sup>

Quae Livius de comitiis et sortitione provinciarum proximi anni narraverat, magna libri XLIII post caput tertium lacuna interciderunt. Quae sequitur narratio mutila de tumultu quodam a praetore sedato, ad ea, quae paucis verbis de Olonici in Hispania tumultu ducis morte finito in epitome libri narrantur, pertinere maxime probabile est. Res autem in Hispania gestas cum Livius non ante reliquas narrare soleat<sup>4)</sup>, praetor ille, qui tumultum Hispaniensem sedavit, non aliquis eorum, qui in annum 584 creati erant, sed Canuleius fuisse mihi quidem videtur.<sup>5)</sup> Iam circumspiciendum est, num quis illi eo anno successerit. Praetores quidem noti sunt L. Hortensius, quem Livius eodem capite commemorat, M. Raecius praetor urbanus<sup>6)</sup>, Q. Maenius Torquatus peregrinus<sup>7)</sup>, fortasse praetores fuerunt etiam Q. Aelius Paetus cos. 587<sup>8)</sup> et T. Manlius Torquatus pontifex<sup>9)</sup> et C. Hostilius Tubulus legatus 587<sup>10)</sup>; sed provinciae eorum incertae sunt. Verum tamen cum bello Macedonico compluribus ducibus opus esset, facile praetori prioris anni in Hispania imperium prorogatum est, cum praesertim

1) Cf. Cat. or. 31. Cic. Verr. accus. 3, 6, 12. 2) Liv. 43, 3. 3) R. G. II, 4. cf. Liv. 28, 30. 4) Cf. praef. p. 73. 5) Quod Florus (2, 17, 13 sqq.) persimilem narrationem de Olyndico multo posteriore tempore affert et consulis castra dicit, ad A. Atilium Serranum consulem anni 584 referres, nisi Livius (43, 4) diserte praetorem diceret. 6) Liv. 43, 9. 7) 43, 6. 8) 45, 16. 9) 43, 11 extr. 10) 44, 19. 29.

Canuleium a. 583 paucos admodum menses res ibi gessisse e praecedentibus manifestum sit.

585. M. Claudius Marcellus praetor utriusque provinciae.

Liv. 43, 15. nam praetores propter iuris dictionem maturius sortiti erant — — Hispaniam M. Claudius Marcellus.

Recte quidem Mommsenus<sup>1)</sup> dixit: 'M. Claudius Marcellus, der schon als Praetor 586 sich in Spanien ausgezeichnet hatte', sed cavendum est, ne falso interpreteris. Praetor enim quamvis Marcellus a. 585 fuerit, provinciae tamen administratio atque quae praeclare in Hispania gessit, magnam partem in annum sequentem cadunt.<sup>2)</sup> Est autem Marcellus insignis ille, qui tertium consul in Hispania iterum pugnavit.<sup>3)</sup>

586. P. Fonteius Balbus praetor utriusque provinciae.

Liv. 44, 17 extr. praetoribus praeter duas iurisdictiones in urbe classis et Hispania et Sicilia et Sardinia provinciae nominatae sunt — — — P. Fonteius Hispaniam (est sortitus).

587. Cn. Fulvius Gillo }  
C. Licinius Nerva } praett.

Liv. 45, 16 in. Q. Aelio M. Iunio consulibus de provinciis referentibus censuere patres duas provincias Hispaniam rursus fieri, quae una per bellum Macedonicum fuerat. — — praetorum sortes fuere: — Cn. Fulvii Hispania citerior, C. Licinii Nervae ulterior.

C. Licinium Nervam cum T. Quinctio et M. Caninio Rebilo in Thraciam missum esse infra apud Livium legimus<sup>4)</sup>, sed neque de permutatione provinciarum neque de rebus in Hispania gestis quicquam invenitur; eundem autem Nervam utroque loco dictum esse, quod Drumannus<sup>5)</sup> sibi persuasit, ut existimemus, nullo modo cogimur.<sup>6)</sup>

588. ? A. Licinius Nerva }  
? P. Rutilius Calvus } praett.

1) R. G. II, p. 6. 2) Cf. de reditu eius Liv. 45, 4. 3) Cf. Cic. Pis. 19, 44. 4) 45, 42 extr. 5) IV, p. 196. 6) Librarii in praenomine aut cognomine eius, qui in Thraciam missus est, errasse videntur.



Liv. 45, 44. deinde praetores postero die L. Iulium, L. Appuleium Saturninum, A. Licinium Nervam, P. Rutilium Calvum, P. Quintilium Varum, M. Fonteium (sc. crearunt). his praetoribus duae urbanae provinciae sunt decretae, duae Hispaniae, Sicilia ac Sardinia.

Quorum praetorum quam quisque provinciam obtinuerit, id parum certum est. Namque si quis dixerit Livium hic in appellandis provinciis eundem atque in praetoribus secutum esse ordinem, quamquam de provincialium sortitione hic nondum agitur, potest sane anni 586 narrationem similem reperere, quo Livius designatorum praetorum quartum nominat P. Fonteium Balbum, deinde provincialium a senatu nominatarum iterum quartam habet Hispaniam, quam P. Fonteium sortitum esse paulo post idem dicit; atque idem de reliquis eius anni praetoribus et provinciis valet.<sup>1)</sup> At contrarium exemplum praecedens annus praebet, quo M. Claudius Marcellus praetor secundo loco, Hispania, quam sortitus esse postea dicitur, tertio loco nominatur<sup>2)</sup>; atque huiusmodi permulta exempla exstant.

Livii narratione hic abrupta fastorum quoque nostrorum magnae incipiunt lacunae, quoniam ex epitomis Livianarum historiarum ceterisque libris pauca admodum erui possunt. Ex praetoribus, quos paucos inter annos 589 et 598 Wehrmannus<sup>3)</sup> in fastis suis praetoriis affert, ne unum quidem habeo dicere, qui Hispaniae praefuerit. Sed duo proconsules appellandi sunt, quorum memoria inscriptionibus in Hispania repertis conservata est, quos, quamquam de tempore non constat, hic aptissime inserere fastis videar.

Q. Fabius Labeo (*praet.*) procos.

C. I. L. II, n. 4924 (4925) = I, n. 1484 (1485)

Q · FABIVS · Q · F · LABEO

PRO · COS

XCII

---

1) Liv. 44, 17. 2) 43, 11. cf. 15. 3) Fasti Praetorii ab a. u. 588 ad a. u. 710. composuit P. Wehrmann. Berol. 1875.

Mommsenus et Huebnerus ex litterarum ductu id quidem statuerunt certe liberae rei publicae tempore, probabiliter saeculo urbis septimo inscriptionem illam factam esse et cum Quinti filius Labeo dicatur, fortasse consulis anni 571 filium eum fuisse, de quo Cicero <sup>1)</sup> dicit: 'Sed vivo Catone minores natu multi uno tempore oratores fuerunt — — Quintusque Fabius Labeo fuit ornatus iisdem fere laudibus.' Praetor videtur fuisse proconsulari imperio.

M'. Sergius (*praet.*) procos.

C. I. L. II, n. 4956 = I, n. 1486.

M' · SERGI · M' · f

PRO COS

XXI

Consul huius nominis cum in fastis non reperiatur, praetorem Sergium proconsulari imperio fuisse apparet, aetas eius pariter incerta est ac Q. Fabii Labeonis, nisi 'Sergi' pro 'Sergius' forma brevis aliquanto antiquiorem eam indicat.

Utrumque proconsulem aut citeriorem Hispaniam aut coniunctas provincias obtinuisse loca docent, ubi inscriptiones inventae sunt.

599? M'. Manilius  
600. L. Calpurnius Piso } praett. (ult. H.)

App. Ib. 56. τοῦ δ' αὐτοῦ χρόνου μέρος ἄλλο Ἰβήρων αὐτονόμων, οἱ Λυσιτανοὶ καλοῦνται, Πουνίκου σφῶν ἡγουμένου τὰ Ῥωμαίων ὑπήκοα ἐλήζοντο καὶ τοὺς στρατηγοῦντας αὐτῶν Μανίλιόν τε καὶ Καλπούρνιον Πίσωνα τρεψάμενοι κτείνουσιν ἑξακισχιλίους καὶ ἐπ' αὐτοῖς Τερέντιον Οὐάρρωνα ταμίαν. cf. Liv. ep. 47. Obsequ. 17.

Quisquis Appiani verba legerit, facile concludat duos praetores uno proelio fusos esse, sed vereor, ne minus recte id dicamus.<sup>2)</sup> Maxime enim offendit, quod Appianus, cum inde a capite quadragesimo altero res a citerioris provinciae imperatoribus gestas rettulerit, hic, ubi ulterioris provinciae bella

1) Brut. 21, 81.

2) Cf. Mommsen R. G. II, 4.

persequitur, citerioris praetorem immiscere videtur nullo verbo distinctum. Contra non alienum ab Appiani festinatione videtur, si duorum annorum res uno enuntiato coniunctas ab eo esse statuimus.<sup>1)</sup> Accedit, quod in Livii epitome dicitur: 'praeterea res in Hispania a compluribus parum prospere gestas continet'; deinde motum Hispaniensem effecisse, ut magistratus inde ab a. 601 Kalendis Ianuariis inirentur, comperimus. Itaque iam ante annum 600 male pugnatum erat, quod Obsequens testatur. Quare et Manilium (cos 605) et Pisonem (cos 606?) ulteriori Hispaniae praefuisse, alterum a. 599, alterum 600 persuasum habeo.

601. Q. Fulvius Nobilior cos.

L. Mummius praet.

App. Ib. 44. ἔτεσι δ' οὐ πολλοῖς ὕστερον πόλεμος ἄλλος ἠγέρθη περὶ Ἰβηρίαν — — ib. 45. στρατηγὸς οὖν ἐπ' αὐτοὺς Νωβελίων ἐπέμπετο μετὰ στρατιᾶς οὐ πολὺ τρισμυρίων ἀνδρῶν ἀποδεύσης. — ib. 56. οὗτος δὲ Καίσαρος Μουμίου μετὰ στρατιᾶς ἄλλης ἐπελθόντι ἀπὸ Ρώμης ἐς μάχην συνηνέχθη καὶ ἠττώμενος ἔφυγεν. cf. Eutr. 4, 9. Diod. 31, 42 Dind.

De Q. Fulvio Nobiliore consule supra iam dictum est, quem post Mummius praetorem in Hispaniam pervenisse neque Mommseno<sup>2)</sup> neque Langio<sup>3)</sup> assentiri possum. Neque enim Mummi clades Bellos, propter quos consul in Hispaniam missus est, ad res novandas permovit, sed Bellis iam compulsis Arevacos ad auxilium iis ferendum.<sup>4)</sup> Consul complures clades accepit, Mummius vitio virtute emendato a. 602 triumphavit.<sup>5)</sup>

602. M. Claudius Marcellus cos. III

M. Atilius Serranus praet.

App. Ib. 48. τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους Νωβελίωνι μὲν

1) Cf. p. 87, adn. 2. 2) R. G. II, 5. 3) R. A. II, 322. coll. p. 298.  
4) App. Ib. 56. Diod. 31, 42; quorum alter signa Mummi per totam Celtiberiam circumlata esse, alter Lusitanorum victoria Arevacos elatos bellum contra Romanos suscepisse tradit. — Eutropius parum diligens scribit: 'Insequenti anno L. Mummius in Hispania pugnavit', cum modo de Prusia Romae commorante dixerit. 5) App. Ib. 57.

ἐπὶ τὴν στρατηγίαν ἀφικνεῖται διάδοχος Κλαύδιος Μάρκελλος. cf. Pol. 35, 1—4. Liv. ep. 48. Eutr. 4, 9. Obsequ. 18.

App. Ib. 58. ἐκδέχεται δ' αὐτὸν (Mummium) Μάρκος Ἀτίλιος, ὃς Λυσιτανῶν μὲν ἐς ἑπτακοσίους ἐπιδραμῶν ἀπέκτεινε. cf. Oros. 4, 21.

Marcellus compluribus annis ante praetor Hispaniam strenue administraverat; deinde consul factus erat a. 588, iterum 599, tam tertium, et cum consilio magis quam armis Celtiberos subigere vellet, Romae criminabantur eum, quod bellum timeret, et successorem ei miserunt.<sup>1)</sup> Cordubae eum hiemasse cum Appianus praetereat, apud Polybium legimus.<sup>2)</sup>

603—604. L. Licinius Lucullus cos.

Ser. Sulpicius Galba praet.

App. Ib. 49. ὧν ἐστρατήγει Λικίνιος Λούκουλλος ὕπατος, πρεσβευτῆ χρώμενος Κορνηλίῳ Σκιπίωνι τῷ Καρχηδόνα μετ' οὐ πολὺ ἐλόντι καὶ Νομαντίαν ὕστερον. cf. Pol. 35, 3. 4. Liv. ep. 48. Flor. 2, 17, 11.

App. Ib. 58. οὗς (Lusitanos) ἐπειγόμενος ἐξελεῖν τῆς πολιορκίας Σερούιος Γάλβας ὁ Ἀτιλίου διάδοχος ἡμέρα μιᾷ καὶ νυκτὶ πεντακοσίους σταδίους διελθὼν ἐπιφαίνεται τοῖς Λυσιτανοῖς. cf. Liv. ep. 48. Cic. Brut. 23, 89. Suet. Galb. 3.

Utrumque imperatorem priore anno rebus haud bene gestis in Hispania ulteriore hiemasse, alterum in Turdetania, Conistorgi alterum Appianus<sup>3)</sup> tradidit. Proximo anno num imperium iis prorogatum sit, quaeritur. Auctor nullus diserte dicit: sed quae fecisse eos constat, facile integrum annum consumunt, atque rogatio illa tribunicia, qua Galba in ius vocabatur, sine dubio in annum 605 cadit.<sup>4)</sup>

605? C. Vetilius praet.

606? C. Plantius Hypsaeus praet.

607? × Claudius Unimanus praet.

608. C. Nigidius Figulus praet.

1) Pol. 35, 3. 4. App. Ib. 49. 2) 35, 2. 3) Ib. 55. 58. 4) Quam-

App. Ib. 61. οὐ πολὺ δὲ ὕστερον ἴσοι διέφυγον ἐκ τῆς Λουκούλλου καὶ Γάλβα παρανομήσεως ἀλισθέντες ἐς μυρίους τὴν Τυρδιτανίαν κατέτρεχον. καὶ αὐτοῖς ἀπὸ Ῥώμης ἐπελθὼν Γάϊος Οὐετίλιος ἄγων τέ τινα στρατὸν ἄλλον καὶ τοὺς ἐν Ἰβηρίᾳ προσλαβὼν — — ἐπέπεσε προνομεύουσι. cf. Diod. 33, 1.

Liv. ep. 52. Viriathus in Hispania primum ex pastore venator, ex venatore latro, mox iusti quoque exercitus dux factus totam Lusitaniam occupavit, C. Vetilium praetorem fuso eius exercitu cepit, post quem C. Plautius praetor nihilo felicius rem gessit. tantumque terroris in hostis intulit, ut adversus eum consulari opus esset et duce et exercitu. cf. App. Ib. 64. Oros. 5, 4.

Oros. 5, 4. Post etiam Claudius Unimanus cum magno instructu belli contra Viriathum missus quasi pro abolenda superiore macula turpiorem auxit ipse infamiam. cf. Flor. 2, 17, 16.

auct. d. vir. ill. 71. Viriathus — — bellum adversus Romanos sumpsit eorumque imperatorem Claudium Unimanum, dein C. Nigidium oppressit.

Coniunximus quattuor hos homines, quoniam omnes ulterioris provinciae praesides fuisse confidimus. Mommsenus <sup>1)</sup> aliter censet et sic fere de ea re argumentatus est: Viriathum constat primum in proelio contra Vetilium commisso Lusitanorum ducem exstitisse <sup>2)</sup> et anno 615 mortuum esse <sup>3)</sup>; atqui Diodorus et Orosius nullam eius mentionem faciunt, nisi post Corinthi deletae narrationem, et Appianus <sup>4)</sup> octo annos eum Lusitanis praefuisse dicit; ergo Vetilius a. 607 partim, partim 608 in Hispania erat, reliquorum trium unus vel alter citerioris erat provinciae praetor, cum Viriathus non in ulteriore solum Hispania pugnaret. <sup>5)</sup> Quibus argumentis haec opponam: primum

---

quam Cicero (Att. 12, 5, 3) de anno, quo Scribonius Libo tribunus fuerit, dubitare videtur; vide tamen Brut. 23, 89. 15, 61. Plinius (9, 48) quem Lucillum Baeticae proconsulem dicat nescio. 1) R. G. II, 9. Nobiscum facit Zumpt, stud. Rom. p. 10 sq. 2) App. Ib. 61. Liv. ep. 52. Oros. 5, 4. Diod. 33, 1, 3. 3) Diod. 33, 21. vid. infr. 4) Ib. 72. 5) Liv. ep. 52.

Livius non contendit inde ab initio belli Viriathum in utraque provincia pugnasse, immo in citeriore bellum excivisse a. demum 611 Appianus<sup>1)</sup> refert; deinde si Diodorus Viriathum non ante Corinthum captam commemorat, non ideo contendam de tempore utique posteriore agi; immo Diodorus res in Africa et in Graecia gestas absolvere voluisse, novo libro novum bellum altius paulo repetiisse videtur<sup>2)</sup>, neque potuit is a. demum 608 bellum illud ortum esse existimare, qui usque ad Viriathi mortem a. 615 annos undecim ratiocinando effecerit.<sup>3)</sup> Orosii autem si testimonio niti volumus, qui sane dicit: 'iisdem consulibus', h. e. quo anno Carthago et Corinthus deletae sint, 'Viriathus Romanis maximo terrori fuit', deinde imperatores Vetilium, Plautium, Claudium Unimanum appellat: ne inde quidem a. 608 primum Viriathum pugnasse concedam necesse est. Sed si quis belli initium tum fuisse statuit, ideo fortasse fecit, quod a. 609 consulari imperio atque exercitu a Romanis bellum susceptum est. Tertium, quod ad annorum numerum attinet, Diodori rationem iam ostendimus, a qua paululum recedunt Iustinus<sup>4)</sup> et Velleius<sup>5)</sup>, qui decem praebent; Livius<sup>6)</sup> et qui eum exscripserunt<sup>7)</sup> cum quattuordecim tradunt, non prorsus falsi sunt, quippe qui bellum totum ab a. 601, quo primum consul in Hispaniam missus est, repetant. Denique praetorum numerus plus valere videtur quam annorum, quos alius aliter ratiocinando computat. Nullo vero pacto licet, id quod Mommseno accidit, tres praetores uni anno tribuere, nisi certi scriptoris testimonium praesto est. Id enim Appianus diserte dixit Plautium Hypsaeum post mortuum Vetilium missum

1) Ib. 66. postquam Q. Fabius Aemilianus bellum strenue gessit.

2) 32, 27. 33, 1. Similia exempla collegit Dindorf ed. Diod. vol. V, p. 221 sqq.

3) 33, 21<sup>a</sup>. 4) 44, 2. 5) 2, 90, 3; nisi viginti eum scripsisse mavis,

quo numero, si bellum Numantinum computatione complectimur, in eundem annum belli incohati, quem Livius praebet, reducimur. cf. Strab. 3,

4, 13. 6) ep. 54. 7) Eutr. 4, 16. Oros. 5, 4. Flor. 2, 17, 15. Quid

sibi velit iste, quod scribit Olyndicum initio belli Lusitani castra consulis

aggressum esse, neque apud editores explicatum inveni neque ipse (cf.

p. 92, adn. 5) satis explicare potui. Idem belli Numantini annos undecim

enumerans (2, 18, 2) nescio an Viriathinum bellum et illud confundat.

esse, post Plautium Claudium Unimanum Orosius, post Claudium Nigidium Figulum auctor de viris illustribus: tum denique consulem missum esse omnes consentiunt. Plautium propter clades acceptas Romae accusatum in exilium se contulisse Diodorus testis est<sup>1)</sup>, de reliquis nihil praeterea notum est.

609—610. C. Laelius (Sapiens) praet.

Q. Fabius Maximus Aemilianus cos.

Cic. Lael. 25, 96. Atque, ut ad me redeam, meministis Q. Maximo — — et L. Mancino coss. quam popularis lex de sacerdotiis C. Licinii Crassi videbatur — — Atque id actum est praetore me quinquennio ante quam consul sum factus.

Cic. off. 2, 11, 40. Viriathus Lusitanus — —, quem C. Laelius, is qui Sapiens usurpatur, praetor fregit et comminuit ferocitatemque eius ita repressit, ut facile bellum reliquis traderet. cf. Brut. 21, 84.

App. Ib. 65. ὧν οἱ ἐν ἄστει Ῥωμαῖοι πυνθανόμενοι Φάβιον Μάξιμον Αἰμιλιανὸν Αἰμιλίου Παύλου τοῦ Περσέα τὸν Μακεδόνων βασιλέα ἀνελόντος υἱὸν ἔπεμπον ἐς Ἰβηρίαν. — — μετὰ δὲ χειμῶνα γεγυμνασμένῳ τῷ στρατῷ τρέπεται [δεύτερος ὅδε] τὸν Οὐρίατθον καλῶς ἀγωνισάμενον καὶ πόλεις αὐτοῦ δύο τὴν μὲν διήρπασεν τὴν δὲ ἐνέπρησεν, αὐτὸν τε φεύγοντα ἐς χωρίον ᾧ ὄνομα ἦν Βαικὸρ διώκων ἔκτεινε πολλούς· καὶ ἐχειμαζεν ἐν Κορδύβη δεύτερον ἔτος ἤδη στρατηγῶν τοῦδε τοῦ πολέμου. cf. Diod. 33, 1, 3.

Liv. ep. 52. Val. Max. 6, 4, 2.

Neque Appianus, qui capite 76 ad citerioris Hispaniae res inde ab a. 611 gestas revertitur, neque alius auctor praeter Ciceronem Laelii administrationem Hispaniensem commemorat; e Ciceronis autem locis neque concludendum est Laelium non ante 611 in Hispaniam profectum esse<sup>2)</sup> neque, quod praetor dicitur, unum tantum annum ibi fuisse<sup>3)</sup>, immo videtur una

1) 33, 2. 2) Cf. Hoffmann, de Viriathi Numantinoque bello, Gryphiswaldiae 1866, p. 41. 3) Cf. Zumpt, stud. Rom. p. 12.

cum consule et advenisse et rediisse. De Aemiliano satis apud Appianum legitur. In miro illo additamento δεύτερος ὄδε, quod nescio an e sequentibus vocabulis δεύτερον ἔτος irrepserit, Hoffmannus <sup>1)</sup> latere suspicatur Laelii victoriam, quam auspiciis consulis a Viriatho reportaverit, quamquam Laelius antea ab Appiano nullo verbo commemoratur.

611—612. Q. Caecilius Metellus cos.

611. × Quinctius praet.

App. Ib. 76. ἐπάνεισι δ' ἐς τὸν Ἀρουακῶν καὶ Νομαντίνων πόλεμον ἢ γραφῇ, οὓς Οὐρίατθος μὲν ἠρέθισεν ἐς ἀπόστασιν, Καικίλιος δ' αὐτοῖς Μέτελλος ἀπὸ Ῥώμης ἐπιπεμφθεὶς μετὰ πλέονος στρατοῦ Ἀρουακοὺς μὲν ἐχειρώσατο. cf. auct. d. v. ill. 41, 3—5. Eutr. 4, 16. Liv. ep. 53. Front. 3, 7, 3.

App. Ib. 65. καὶ τάδε μὲν ὁ Αἰμιλιανὸς ἐργασάμενος ἐς Ῥώμην ἀπῆρε, διαδεξαμένου τὴν ἀρχὴν Κοϊντίου.

Q. Caecilium Metellum Q. Fabio Maximo succedere iussum propter Arevacorum tumultum in citeriore provincia remansisse dicit Mommsenus.<sup>2)</sup> Quod si verum esset, Quinctium praetorem ignavum, quem Aemiliani locum obtinuisse idem Mommsenus <sup>3)</sup> confitetur, & consule, non a senatu in ulteriorem provinciam missum esse existimare nos oporteret, quod quamquam fieri potuisse Catonis exemplum docet, Appiani narrationi contrarium est. Praetoris nomen Κοϊντίου, quod Appianus tradidit, cum non conveniat cum eo quod sequitur Πομπηίου τοῦ Αὔλου, hic et praeterea ter in Κοϊντίου mutatum est <sup>4)</sup>, iniuria quidem: nam Q. Pompeius A. f. consul a. 613 non potest praetor a. 611 in Hispania ulteriore esse; propraeetorem autem eum fuisse <sup>5)</sup> neque quisquam tradidit neque per se veri simile est; delendum est haud dubie Πομπηίου τοῦ Αὔλου, quod ex sequentibus anticipatum videtur <sup>6)</sup>, retinendum Κοϊντίος, cum praesertim Appianum ter praenomen tantum scripsisse nemo

1) Zumpt l. l. 2) R. G. II, 13. 3) Ib. p. 11. 4) Cap. 66 sq.

5) Drumann IV, p. 307. Hoffmann l. l. p. 41. Quintus hic erat annus post primam quaestionem perpetuam institutam neque tum, quod lege Cornelia sancitum est, usitatum. 6) Ib. 76.



crediturus sit. Offendit tamen, quod eodem loco legitur *ἑτέρῳ στρατηγῷ Ῥωμαίων Κοϊντίῳ συνεπλέκετο*, quibus verbis auctor, postquam de altera provincia mentionem interposuit, ad illud *διαδεξαμένου τὴν ἀρχὴν Κοϊντίου* revertitur; itaque articulo *τῷ* ante *ἑτέρῳ* vix possumus carere. Metello quae inimicitiae cum successore fuerint, non est quod pluribus exponamus<sup>1)</sup>; prorogatum ei esse imperium et ex eo, quod proconsul dicitur<sup>2)</sup>, et ex tota illius temporis ratione facile perspicitur.

612—613. Q. Fabius Maximus Servilianus cos. ult. H.

App. Ib. 67. *τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους Κοϊντίῳ μὲν ὁ ἀδελφὸς Αἰμιλιανοῦ Φάβιος Μάξιμος Σερουλιανὸς ἦλθεν ἐπὶ τὴν στρατηγίαν διάδοχος.*

Liv. ep. 53. a Q. Fabio proconsule pars magna Lusitaniae expugnatis aliquot urbibus recepta est. — — ib. 54. Q. Fabius proconsul rebus in Hispania prospere gestis labem imposuit pace cum Viriatho aequis condicionibus facta. cf. Flor. 2, 17, 17.

Q. Fabius Maximus Servilianus cum duabus epitomis Livianis proconsul appelletur et consul anni 614 ei successor sit, non dubium est, quin ei imperium in annum 613 prorogatum sit.

613—614. Q. Pompeius A. f. cos. cit. H.

App. Ib. 76. *Μέτελλος μὲν δὴ κατὰ χειμῶνα τὴν στρατιὰν Κοϊντῷ Πομπηίῳ Αὔλου υἱῷ διαδόχῳ τῆς στρατηγίας οἱ γενομένῳ παρέδωκεν.*

App. Ib. 79. *παραγενομένου δ' αὐτῷ διαδόχου Μάρκου Ποπιλίου Λαίνα οἱ μὲν ἔφερον τὰ λοιπὰ τῶν χρημάτων.* cf. Diod. 33, 17. Liv. ep. 54. Flor. 2, 18, 4. Dio fr. 77 Dind.

Pompeius cum pacem cum Numantinis iniquis condicionibus fecisset, successoris convicia senatusque poenam veritus ad mendacium confugit et Romae precibus impetravit, ut im-

1) Cf. Lange R. A. II, 320. Drumann IV, 308. cf. Val. Max. 7, 4, 5. 9, 3, 7.

2) Liv. ep. 53.

punitus evaderet. <sup>1)</sup> Foedus autem ab eo factum senatus diremit. <sup>2)</sup>

614—615. Q. Servilius Caepio cos. ult. H.

App. Ib. 70. ὁ γὰρ ἀδελφὸς Σερουιλιανοῦ τοῦ ταῦτα συνθεμένου Καιπίων διάδοχος αὐτῷ τῆς στρατηγίας γενόμενος διέβαλλε τὰς συνθήκας. cf. Diod. 33, 21. Vell. 2, 1. auct. d. v. ill. 71, 3. 4. Liv. ep. 54. Dio fr. 78. 80. Eutr. 4, 16.

615—616. M. Popilius Laenas cos. cit. H.

App. Ib. 79 (vid. supr.). καὶ ὁ Ποπίλιος ἐνέβαλεν ἐς τοὺς γείτονας αὐτῶν Λούσονας, οὐδὲν δ' ἐργασάμενος (ἦκε γὰρ αὐτῷ διάδοχος ἐπὶ τὴν στρατηγίαν Ὅστιλιος Μαγκῖνος) ἀνέζευξεν ἐς Ῥώμην. cf. Diod. 33, 19. 21. Vell. 2, 1. Dio fr. 75 Dind. Liv. ep. 55. Flor. 2, 17, 17. auct. d. v. ill. 71, 4.

Discrepantiae auctorum, quorum nonnulli, ut Florus auctor de viris illustribus Dio Popilium Laenatem proeliis cum Numantinis nondum commissis contra Viriathum pugnasse vel de pace cum eo egisse vel interficiendum eum curasse narrant, cum secundum Appianum Laenatis expeditio non pertineat ad Viriathum, Diodori narratione ita explicantur, ut Viriathus, cum a. 614 a Caepione superatus esset, anno proximo, quo Caepio cum Callaecis pugnaret, Laenas illum urgeret, cum utroque de pace egerit, interfectus autem sit per eos, quos Caepio <sup>3)</sup> subornasset. A. 616 Popilius Laenas bellum contra Numantinos renovavit. <sup>4)</sup>

616—617 (? 621). D. Iunius Brutus cos. ult. H.

App. Ib. 73. ὁ μὲν δὴ Οὐριάτθου πόλεμος ἐς τοῦτο ἐτελεύτα καὶ ζήλω τῶν ἔργων Οὐριάτθου τὴν Λυσι-

1) Cic. off. 3, 30, 109. cf. de rep. 3, 18, 28. 2) App. Ib. 79. Supra Πομπηίῳ Ἀῦλον νίῳ scripsimus pro Πομπηίῳ [Ἀῦλῳ], quod Bekker restituere omisit.

3) Caepio, Fabii, Scipio Aemilianus hoc modo fratres vocantur: P. Cornelius Scipio. L. Aemilius Paulus. Q. Fabius Max. Q. Servil. Caepio

P. Corn. Scipio Aemilian. Q. Fab. Max. Aem. Q. Fab. Max. Serv. Q. Servil. Caepio.

4) Diod. 33, 19. Liv. ep. 55.

- τανίαν ληστήρια πολλά ἄλλα ἐπιτρέχοντα ἐπόρθει. Σέξτος δὲ Ἰούνιος Βροῦτος ἐπὶ ταῦτα πεμφθεὶς ἀπέγνω μὲν αὐτὰ διώκειν διὰ χώρας μακρᾶς. cf. Diod. 33, 24—26. Vell. 2, 5. Liv. ep. 55. Eutr. 4, 19.

Appianus errat in Bruti praenomine.<sup>1)</sup> Quot annos in Hispania remanserit Brutus, ambigitur. Qui Eutropium secuntur, triumphum eius ponunt in anno quarto decimo post Scipionis triumphum de Carthagine actum, h. e. 622<sup>2)</sup>, et tamdiu imperium eum obtinuisse fortasse credunt, quod Romani cum Hispania decertare cupiverint, cui rei perficiendae Brutus et Scipio viri maxime idonei visi sint. Quid enim? Brutus non Lusitanos solum pacavit et reliquiis exercitus Viriathini domicilia assignavit, sed etiam cum Callaecis signa contulit et una cum M. Aemilio Lepido contra Vaccaeos profectus est a. 618<sup>3)</sup>, denique fama eius per totam Hispaniam percrebruit.<sup>4)</sup> Neque inaudita in Hispania tot annorum administratio est, ut mox videbimus in T. Didio et in P. Licinio Crasso. De imperio eius (prorogato) in urbe actum esse testimonio est Scipionis Africani de imperio D. Bruti oratio a Festo<sup>5)</sup> commemorata. Alii<sup>6)</sup> Eutropii testimonio spreto<sup>7)</sup> triumphasse Brutum contendunt a. 618, quod et biennio administrationis tum usitato consentaneum est et Appiani<sup>8)</sup> verbis probatur: ὅσα Σκιπίων τε ἔλαβε καὶ Βροῦτος πρὸ τοῦ Σκιπίωνος ὑπηγάγετο ἢ ἐχειρώσατο. Id mihi quoque magis quam prior sententia placet.

617. C. Hostilius Mancinus

M. Aemilius Lepidus Porcina

618. L. Furius Philus

619. Q. Calpurnius Piso

} coss. cit. H.

1) Cf. Liv. ep. 55. Cic. legg. 3, 9, 20. 2) Drumann IV, 8. Zumpt l. l. p. 13. contra ac p. 62, ubi a. 618 scribit. cf. Liv. ep. 59. quamquam annum 621 Eutropii verba non excludunt. 3) Conferas, quae de Lepido infra dicta sunt. 4) Cf. Strab. 3, 3, 1. 4, 7. Val. Max. 6, 4, 3. C. I. L. II, passim. 5) p. 241. 6) Lange R. A. II, 328. Borghesi V, 170. 7) Videtur enim fontis sui verba exscripta male cum Scipionis triumpho coniunxisse. 8) Ib. 99. in fastis triumphalibus anni 600—624 intercederunt, ut nesciamus, quid in iis de Bruti triumpho dictum fuerit.

App. Ib. 80 (cf. 79). οἱ δ' ἐν ἄστει πυθόμενοι χάλε-  
πῶς ἔφερον ὡς ἐπὶ αἰσχίσταις πάνυ σπονδαῖς καὶ  
τὸν ἕτερον τῶν ὑπάτων Αἰμίλιον Λέπιδον ἐς Ἰβη-  
ρίαν ἐξέπεμπον, Μαγκῖνον δ' ἀνεκάλουν ἐς κρίσιν.  
cf. Liv. ep. 55. Eutr. 4, 17. Flor. 2, 18, 5. Diod.  
33, 27. Dio. fr. 79 Dind.

App. Ib. 83. καὶ τάδε μὲν ἦν περὶ τὸν Αἰμίλιον, Ῥω-  
μαῖοι δ' αὐτὰ πυθόμενοι τὸν μὲν Αἰμίλιον παρέλυ-  
σαν τῆς στρατηγίας τε καὶ ὑπατείας καὶ ἰδιώτης ἐς  
Ῥώμην ὑπέστρεφεν καὶ χρήμασιν ἐπεζημιούτο — —  
Μαγκῖνον μὲν δὴ Φούριος ἀγαγὼν ἐς Ἰβηρίαν γυμνὸν  
παρεδίδου τοῖς Νομαντίνοις. cf. Liv. ep. 56. Dio  
fr. 82. Oros. 5, 5.

App. Ib. 83. στρατηγὸς δ' ἐπ' αὐτοὺς αἰρεθεὶς Καλ-  
πούριος Πίσων οὐδ' ἤλασεν ἐπὶ Νομαντίαν, ἀλλ' ἐς  
τὴν Παλλαντίων γῆν ἐσβαλὼν καὶ μικρὰ δηώσας ἐχεί-  
μαζεν ἐν Καρπητανίᾳ τὸ ἐπίλοιπον τῆς ἀρχῆς. cf.  
Obsequ. 26.

Horum consulum quo quisque tempore in Hispaniam per-  
venerit, cum disceptare vix quisquam possit, quae traduntur  
brevis praecidamus. Mancinus cum Ti. Graccho quaestore po-  
tissimum auctore <sup>1)</sup> pacem turpem cum Numantinis confecisset,  
anno consulatus nondum circumacto — successor enim Lepidus  
consul et collega eius nominatur <sup>2)</sup> — a senatu revocatus, postea  
Numantinis deditus esse dicitur; Lepidus autem sive eodem  
anno bellum Vaccaeis intulit sive proximo <sup>3)</sup>, quidquid Appi-  
anus hariolatur, summó consulis honore privari nequaquam  
potuit, potuit autem cogi imperium proconsulare deponere. <sup>4)</sup>  
Successit ei L. Furius Philus consul, qui Mancinum Numantinis  
tradendum secum duxit; legatis utebatur Q. Caecilio Metello  
et Q. Pompeio consularibus viris et sibi et inter se inimicissi-  
mis. <sup>5)</sup> In ulteriore provincia a Bruto pacata, siquidem Brutus

1) Plut. Ti. Gracch. 5—7. Dio fr. 83. Vell. 2, 2. 2) Diod.  
33, 27. App. Ib. 80. 3) Liv. ep. 56. proconsulem dicit. 4) Cf. Lange  
R. A. I, 722. II, 551. 659. 5) Val. Max. 3, 7, 5. Dio fr. 82.

decessit<sup>1)</sup>, praetores inde ab anno 618 imperium tenuisse consentaneum est.

620—621. P. Cornelius Scipio Africanus cos. II ex plebiscito cit. H.

Liv. ep. 56. cum bellum Numantinum vitio ducum non sine pudore publico duraret, delatus est ultro Scipioni Africano a senatu populoque Romano consulatus, quem cum illi capere ob legem, quae vetabat quemquam iterum consulem fieri, non liceret, sicut priori consulatu legibus solutus est. cf. App. Ib. 84. Flor. 2, 18, 8. Eutr. 4, 17. Vell. 2, 4, 2. Oros. 5, 7. auct. d. vir. ill. 58.

App. Ib. 99. Ῥωμαῖοι δὲ ὡς ἔθος ἐς τὰ προσειλημμένα τῆς Ἰβηρίας ἐπεμψαν ἀπὸ τῆς βουλῆς ἄνδρας δέκα τοὺς καταστησομένους αὐτὰ ἐς εἰρήνην ὅσα Σκιπίων τε ἔλαβε καὶ Βροῦτος πρὸ τοῦ Σκιπίωνος ὑπηγάγετο ἢ ἐχειρώσατο.

Lex, qua Scipio solutus esse dicitur, a. 603 Catone auctore, ut videtur, lata est.<sup>2)</sup> Appianus<sup>3)</sup> de Scipionis aetate in errore versatur, cum scribit: ὁ δὲ καὶ τότε ἦν ἔτι νεώτερος τῆς νενομισμένης τοῖς ὑπατεύουσιν ἡλικίας. Natus enim est Scipio a. 569<sup>4)</sup>; tunc igitur quinquaginta annos compleverat. Numantiam quo tempore oppugnare inceperit quove expugnarit, cum viri docti dissentiant<sup>5)</sup>, de anno certe, quo triumphavit, constat. Dicit enim Cicero<sup>6)</sup> de bello cum Aristonico gesto P. Licinio L. Valerio consulibus: 'Ita populus Romanus consuli potius Crasso quam privato Africano bellum gerendum dedit' et supra: 'quamquam erat Africanus, qui anno ante de Numantinis triumpharat'. Legati eum sequebantur Q. Fabius Maximus Aemilianus frater, Buteo patruelis<sup>7)</sup>; militabant sub eo C. Gracchus<sup>8)</sup> et C. Marius<sup>9)</sup>; tribuni militum erant P. Rutilius Rufus et Sempronius Asellio, qui belli Numantini

1) Cf. p. 104. 2) Fest. p. 242. cf. Lange R. A. I, 712. 3) Ib. 84.  
4) Plut. Aem. Paul. 22. 5) Cf. Mommsen R. G. II, 17. Hoffmann l. l. p. 68. 6) Phil. 11, 8, 18. 7) App. Ib. 90. 84. 8) Plut. Ti. Gracch. 13.  
9) Plut. Mar. 3.

historiam postea scripserunt. <sup>1)</sup> Ut Scipio bello Numantino confecto fines provinciarum denuo constituit totamque Hispaniam una cum decem legatis pacavit, ita post bellum Sertorianum Pompeium provinciarum restitutorem videbimus. <sup>2)</sup>

630? Q. Fabius Maximus (Allobrogicus) praetor (*propraetor*).

Plut. C. Gracch. 6. Συνεβούλευε δὲ αἰεὶ τι τῶν ἐκείνη (sc. τῆ συγκλήτῳ) πρεπόντων εἰσηγούμενος· οἶον ἦν καὶ τὸ περὶ τοῦ σίτου δόγμα μετριώτατον καὶ κάλλιστον, ὃν ἔπεμψε μὲν ἐξ Ἰβηρίας Φάβιος ἀντιστράτηγος. ἐκεῖνος δ' ἔπεισε τὴν βουλὴν ἀποδομένην τὸν σῖτον ἀναπέμψαι ταῖς πόλεσι τὸ ἀργύριον καὶ προσεπαιτιάσασθαι τὸν Φάβιον ὡς ἐπαχθῆ καὶ ἀφόρητον ποιοῦντα τὴν ἀρχὴν τοῖς ἀνθρώποις.

Quo anno aut quot annos, utra in provincia Q. Fabius Maximus praetor vel propraetor fuerit, manifestum non est. Sed cum Fabius idem esse videatur, qui a. 633 consul factus est et postea Allobrogici cognomen reportavit, cum C. Gracchum a. 631 primum tribunum plebis post legem frumentariam perlatam <sup>3)</sup> ea quae Plutarchus tradidit fecisse sit veri simile, recte Wehrmannus Fabium praetorem paulo ante annum 631 induxit, cum Pighius nimis confidenter citeriorem Hispaniam per annos 629 usque 631 eum obtinuisse declaret. Quod ἀντιστράτηγος appellatur, id non necessario complurium annorum administrationem indicat: potuit praeturae annus confectus esse, cum Romae de frumento ab illo misso ageretur.

Proximo anno Q. Caecilium Metellum consulem adversus Baliares profectum esse, quia ad Hispaniam ipsam non pertinet, verbo attigisse satis est. <sup>4)</sup>

640 (?641). C. Marius praet. ult. H.

Plut. Mar. 6. Μετὰ δὲ τὴν στρατηγίαν κληρᾷ λαβὼν τὴν ἐκτὸς Ἰβηρίαν λέγεται καθᾶραι ληστηρίων τὴν ἐπαρχίαν ἀνήμερον οὔσαν ἔτι τοῖς ἐθισμοῖς καὶ θηριώδη καὶ τὸ ληστεύειν οὔπω τότε τῶν Ἰβήρων οὐχὶ

1) App. Ib. 88. Gell. 2, 13. 2) Cf. praef. p. 67 sq. 3) Liv. ep. 60. Vell. 2, 6. Plut. l. l. Diod. 34, 27. 4) Liv. ep. 60.

*κάλλιστον ἡγουμένων.* cf. Cic. off. 3, 20, 79. Verr. accus. 3, 90, 209.

C. Marius, quo anno praetor fuerit, aperte dicit Cicero <sup>1)</sup>: 'cum — iam septimum annum post praetoram iaceret — —, Q. Metellum — — cum ab eo imperatore suo Romam missus esset, apud populum Romanum eriminatus est', h. e. a. 646. Quare, nisi Plutarchus anachronismo, quem dicimus, deceptus legem Corneliam ad Marii administrationem Hispaniae transfert, provincia extra ordinem ei commissa est, quod propter quaestionum perpetuarum numerum auctum tum iam in usum venisse potest. <sup>2)</sup>

642. L. Calpurnius Piso Frugi praet. ult. H.

App. Ib. 99. χρόνῳ δ' ὕστερον ἀποστίασεων ἄλλων ἐν Ἰβηρίᾳ γενομένων Καλπούριος Πίσων στρατηγὸς ἤρθη καὶ αὐτὸν διεδέξατο μὲν Σερούιος Γάλβας.

Cic. Verr. accus. 4, 25, 56. Ei, cum esset in Hispania praetor, qua in provincia occisus est, anulus aureus — — comminutus est — — aurificem iussit vocari in forum ad sellam Cordubae.

Piso filius est eius, qui a. 609 legem de repetundis tulit et a. 621 consul creatus est. <sup>3)</sup> Ceterum praetura eius terminatur tempore, quo successorem eius Hispaniam ulteriorem obtinuisse scimus.

643. Ser. Sulpicius Galba praet. ult. H.

App. Ib. 99. καὶ αὐτὸν διεδέξατο μὲν Σερούιος Γάλβας, Κίμβρων δ' ἐπιστρατευόντων τῇ Ἰταλίᾳ καὶ Σικελίας πολεμουμένης τὸν δεύτερον δουλικὸν πόλεμον στρατιὰν μὲν ἐς Ἰβηρίαν οὐκ ἔπεμπον ὑπ' ἀσχολίας, πρέσβεις δὲ ἀπέστελλον, οἱ τὸν πόλεμον ἔμελλον ὅπῃ δύναιντο καταθῆσθαι.

Galba consul a. 646 non post annum 643 praetor fuisse potest, alter terminus Calpurnii Pisonis praetura datur. Quare falso Zumptius <sup>4)</sup>, qui consulibus omnibus provincias attribuere

1) off. l. l. 2) Cf. Marquardt, Staatsverw. I, p. 378, n. 7. 3) Si suo anno, filius ante 602 natus esse vix potest. 4) Stud. Rom. p. 21.

studet, hunc quoque Galbam a. 646 Hispaniam obtinuisse vult, Pisonem a. 647, quem ab Appiano Galbae successorem appellari errore nescio quo dicit.

645. Q. Servilius Caepio praet. ult. H.

Eutr. 4, 27. A M. Iunio Silano collega Q. Metelli Cimbrici in Gallia et a Minucio Rufo in Macedonia Scordisci et Triballi et a Servilio Caepione in Hispania Lusitani victi sunt. cf. Val. Max. 6, 9, 13.

Q. Caecilius Metellus Numidicus et M. Iunius Silanus consules erant a. 645, ipse Caepio consul factus est tribus annis post. Triumphasse eum dicit Valerius Maximus his verbis: 'qui praeturae splendore, triumpho claritate, consulatus decore — in publicis vinculis spiritum deposuit'. Quae ultima verba ad calamitatem eius bello Cimbrico acceptam referes.<sup>1)</sup> Appiani de copiis Hispaniensibus dictum, quod modo exscripsimus, non valere nisi post annum 649 et ex Eutropii loco discimus et ex eo, quod Obsequens<sup>2)</sup> ad annum illum adnotavit: 'a Lusitanis exercitus Romanus caesus'. De incursione a Cimbris in Hispaniam facta admonere licet, quae Livius<sup>3)</sup> Plutarchus<sup>4)</sup> Obsequens<sup>5)</sup> ea de re tradiderunt. Frontini<sup>6)</sup> autem locus, quo Pighius nisus [M.] Fulvium [Nobiliorem] a. 651 Hispaniae praesidem fuisse opinatus est, huc omnino non pertinet; nam 'Cimbrico bello', quod ibi scriptum est, iam dudum editores sequentia vocabula 'Celtiberis insequentibus' recte perspicientes in 'Celtiberico bello' emendarunt totumque locum ad Q. Fulvium Flaccum rettulerunt, quem similem in modum ingeniose bellum gessisse Livius<sup>7)</sup> tradidit.

652. M. Marius praet. cit. H.

App. Ib. 100. πόλιν δ' ἑτέραν τῆς Κολένδης πλησίον ᾗκουν μιγάδες Κελτιβήρων, οὓς Μάρκος Μάριος συμμαχήσαντας αὐτῷ καὶ Λυσιτανῶν τῆς βουλῆς ἐπιτροπούσης ᾗκίκει πρὸ πέντε ἐνιαυτῶν.

Agitur eo loco de T. Didio consule a. 656, quodsi πρὸ

1) Cic. d. or. 2, 28, 124. Balb. 11, 28. 2) 42. 3) ep. 67.  
4) Mar. 14 in. 5) 43. 6) strat. 2, 5, 8. 7) 40, 31.



πέντε, quemadmodum solet, dictum suspicaris, eum quem scripsimus annum tenemus. Fuit autem M. Marius sine dubio clarissimi illius Marii frater, quem aequae atque Cn. Carbonem Cicero <sup>1)</sup> in numero contionatorum Marianae aetatis habet, pater M. Marii Gratidiani <sup>2)</sup>, quem L. Sulla occidendum curavit. <sup>3)</sup>

653. D. Iunius Silanus praet. ult. H.

Sex. Ruf. 4. Rebellantes Lusitanos in Hispania per Decimum Brutum continuimus. Post ad Hispanos tumultuantes D. Iunius Silanus cum exercitu missus eos vicit. cf. Obsequ. 44.

Collatis nummorum inscriptionibus Borghésius <sup>4)</sup> annum illum constituit, quo Lusitanis devictis Hispaniam ulteriorem pacatam esse Obsequens docet parum memor eorum, quae de proximo anno constant.

654. L. Cornelius Dolabella (*praetor*) procos. ult. H.

C. I. L. I, p. 460. L · CORNELIVS · P · F · L · N · DOLABELLA · PROCOS · A · DCLV || EX · HISPANIA · VLTERIOR · DE · LVSITAN · V · K · FEB ·

Triumphus eius secundum nostram temporum rationem anno 656 adscribendus ostendit Dolabellam, nisi provinciam extra sortem adeptus est, non a. 655, sed 654 eo pervenisse. Ceteroquin de Dolabella nihil notum est. <sup>5)</sup>

655. C. Caelius Calvus praet. cit. H.

Hunc Hispaniae citeriori praefuisse demonstravit Borghe-sius <sup>6)</sup> ex nummis inventis, neque tamen consulem anno 661, quoniam de utriusque provinciae imperatore illo anno constet, sed praetorem paucis annis ante. Praetoram autem Caldi, quem Cicero <sup>7)</sup> aequalem dicit, cum Wehrmannus ante annum

---

1) Brut. 62, 223. 2) l. l. 168. 3) Hunc falso Florus (3, 21, 26) fratrem C. Marii appellat. 4) V, 170. Neque enim Zumptio (l. l. p. 62) assentiri possum, qui eo quod supra diximus studio Silanum consulem anni 692 fuisse sibi persuasit. Ciceronis locus quem affert nihil demonstrat, Lusitaniae status etiam contradicit. 5) Consulem suffectum eum fuisse suspicatur Marquardt, Staatsverw. I, p. 379, n. 2. 6) L, 327. cf. Mommsen, Münzw. p. 563, n. 180. 7) de or. 1, 25, 117, conferendus est Obsequ. 46.

658 posuerit, accuratius nostris fastis comparatis anno 655 assignabis.

656—660. T. Didius cos. cit. H.

App. Ib. 99. Κίμβρων δ' ἐξελαθέντων Τίτος Δείδιος ἐπελθὼν Ἀρουακῶν μὲν ἔκτεινεν ἐς δισμυρίους, Τερμησσὸν δὲ μεγάλην πόλιν ἀεὶ δυσπειθῆ Ῥωμαίοις γενομένην ἐξ ἐρυμνοῦ κατήγαγεν ἐς τὸ πεδίον καὶ ἐκέλευσεν οἰκεῖν ἀτειχίστους. cf. Plut. Sert. 3. Sall. ap. Gell. 2, 27. Liv. ep. 70. Obsequ. 47.

T. Didius quoque a Cicerone nonnullis locis homo novus dicitur, qui cum una cum Q. Caecilio Metello Nepote legem Caeciliam Didiam de promulgatione pertulisset, quominus eodem anno in provinciam abiret, ut alia exempla docent<sup>1)</sup>, nihil obstitit. Quod Livius scribit: 'T. Didius proconsul adversus Celtiberos feliciter pugnavit', non utique ad primum administrationis annum referendum est.<sup>2)</sup> A. 658 eum in Hispania fuisse Obsequens<sup>3)</sup> testari videtur; sed ne prius quidem quam a. 661 eum rediisse putamus, quoniam in fastis triumphalibus scriptum est:

T·DIDIVS·T·F·SEX·N·II·PROCOS·EX·HISPANIA·A·DCLX  
DE·CELTIBEREIS III·IDVS·IVN·

Nam post reditum triumphum eius retardatum esse propterea veri simile non est, quod a. 661 provincia illa etiam consularis est neque alium interea consulem eam administrasse scimus. De quo triumpho crudelitate atque iniuria reportato Appianus breviter sic: καὶ ἐπὶ τοῖσδε Δείδιος μὲν καὶ ἐθριάμβευσεν. In Didii exercitu tribuni militum locum obtinebat Q. Sertorius.<sup>4)</sup> De nummis proconsulis scripsit Mommsenus.<sup>5)</sup>

657—660. P. Licinius Crassus Dives cos. ult. H.

Asc. ad Cic. Pis. 24, 58. M. Crassi pater P. Crassus ante bellum Italicum de Hispanis triumphavit. cf. Strab. 3, 5, 11.

1) Veniunt in mentem M'. Acilius Glabrio cos. 563, M. Baebius Tamphilus a. 573, C. Flaminius a. 537. cf. etiam Cato a. 559 (Liv. 34, 2).  
2) Cf. ep. 53. de Metello et Fabio. 3) 48. 4) Plut. Sert. 3. 5) Münzw. p. 450. cf. Borghesi I, 326.

Crassum proconsulem inde ab anno 658 demum Hispaniae praefuisse dicit Langius<sup>1)</sup>; sed cur non iam in ipso consulatu eam administraverit, non possum perspicere. Nam etiamsi legem eo anno nescio quam tulerit, qua de re non constat, ne alios quidem ea res totum annum retinebat, ut supra demonstravimus.<sup>2)</sup> Triumphavit autem eodem anno quo T. Didius, et pridie quidem Idus Iun., ut in fastis triumphalibus legitur. Cn. Plancius eques Romanus in exercitu eius militabat<sup>3)</sup> et Marcus filius Plutarcho<sup>4)</sup> auctore ἐς Ἰβηρίαν ἔφυγε γεγωνῶς πάλαι στρατηγοῦντος τοῦ πατρὸς αὐτόθι καὶ φίλους πεποιημένος. Crassi quoque exstant nummi Hispanienses.<sup>5)</sup>

661. C. Valerius Flaccus cos.

P. Cornelius Scipio Nasica praet.

App. Ib. 100. πάλιν δὲ τῶν Κελτιβήρων ἀποστάτων Φλάκκος ἐπιπεμφθεὶς ἔκτεινε δισμυρίους· ἐν δὲ Βελγίῳ πόλει ὃ μὲν δῆμος ἐς ἀπόστασιν ὁρμῶν τὴν βουλήν ὀκνοῦσαν ἐπέπρησεν αὐτῷ βουλευτηρίῳ, ὃ δὲ Φλάκκος ἐπελθὼν ἔκτεινε τοὺς αἰτίους.

Obsequ. 51. per Nasicam Hispaniae principes, qui rebellabant, supplicio consumpti urbibus dirutis.

Consulem illum Flaccum fuisse probabile est, quoniam Appianus cognomine solo eum significare satis habuit. Verum tamen de anni 668 consule quominus cogites, id prohibet, quod paulo post Appianus<sup>6)</sup>: χρόνῳ δ' ὕστερον, inquit, στασιαζόντων τῶν ἐν Ῥώμῃ Σύλλα τε καὶ Κίττα. Duos annos eum provinciae praefuisse ex inveterascente ratione conicere licet, sed traditum est de Flacco prorsus nihil.<sup>7)</sup> Ulterioris provinciae imperator alius esse non potest nisi L. Licinii Crassi Scipionis pater eius, quem ex Licinia filia sua nepotem Crassus orator adoptavit, et idem pater Q. Caecilii Metelli Scipionis, quem Q. Caecilius Metellus Pius adoptavit.<sup>8)</sup> Quem a. 660 in Hispania fuisse ex Obsequentis verbis — prodigia enim fiunt C. Caelio L. Domitio consulibus — recte concluderemus,

1) R. A. III, 112. 2) Cf. p. 111, adn. 1. 3) Cic. Planc. 13, 32.  
4) Crass. 4. 5) Cf. p. 111, adn. 5. 6) Ib. 101. 7) Num idem est apud Cic. Balb. 24, 55? 8) Cic. de or. 3, 33, 134. 3, 2, 8. Sex. Rosc. 28, 77.

nisi de P. Licinii Crassi triumpho constaret. Prodigia enim hic sequentis anni res portendere malo quam cum Zumptio<sup>1)</sup> Nasicam Didii legatum facere.

Anni proximi usque ad 668 apud Pighium citerioris provinciae praesidem habent C. Valerium Flaccum modo proconsulem modo praetorem appellatum, ulterioris usque ad a. 663 Scipionem, Perpenna consule a. 662 interposito<sup>2)</sup>, quae mera coniectura est sua ipsius inconstantia futilis. Ignoti sunt Hispaniarum proconsules usque ad annum 672, quo Marianis rei publicae perturbationibus in Italia confectis Sertorianum bellum exarsit in Hispania. A. 666 cum Sulla cum exercitu ad urbem accederet, permulti Marii assectatores eo confugerunt brevique provincias totas ad suam factionem converterunt. Ad annum 667 pertinere videtur, quod in Granii Liciniani fragmentis invenitur: 'et ex Hispania Brutus ceterique exsules ad eum (sc. Marium) confluxerunt.'<sup>3)</sup> Brutus est ille, quem Pompeius Mutinae interficiendum curavit.<sup>4)</sup> Itaque cum M. Crassus patre a Marianis interfecto in Hispaniam pervenisset, diu in specu delitescens a Vibio quodam alimentis subornabatur. Mario autem mortuo prodire ausus oppida nonnulla aggressus est et navibus captis in Africam ad Q. Caecilium Metellum traiecit, qui a. 671 Sullae redeunti se coniunxit.<sup>5)</sup> Tum Hispaniam subito ad alteram partem declinasse ex eo intellegitur, quod Sertorius vix receptus est.<sup>6)</sup>

672 (—681). Q. Sertorius proprætor ult. H.

App. b. c. 1, 86. Σερτώριος δ' ἐκ πολλοῦ στρατηγεῖν ἤρημένος Ἰβηρίας μετὰ τὴν Συέσσης κατάληψιν ἔφευγεν ἐς τὴν Ἰβηρίαν. καὶ αὐτὸν τῶν προτέρων στρατηγῶν οὐ δεχομένων πολλοὺς ἐνταῦθα καὶ ὕδὲ Ῥωμαίοις ἀνεκίνησε πόνους.

App. Ib. 87. τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους ὑπατοὶ μὲν ἐγένεσθην Παπίριός τε Κάρβων αὐθις καὶ Μάριος ὁ ἀδελφιδοῦς Μαρίου τοῦ περιφανοῦς. cf. Plut. Sert. 6.

1) Stud. Rom. p. 28. 2) Nummi huic Perpennae falso a Pighio assignati sunt. cf. Zumpt I. I. 3) p. 23 ed. Bonn. 4) Liv. ep. 90. 5) Plut. Crass. 4—6. 6) App. b. c. 1, 86.

Exup. 8. Sall. hist. fr. 1, 55—59 D. App. Ib. 101.  
b. c. 1, 108.

Q. Sertorius, quem aliquot annis ante T. Didii tribunum militum in Hispania fuisse vidimus, postea praetor factus erat; utrum a. 671 fuerit an prius, non liquet<sup>1)</sup>: neutrum Appiani dictum ἐκ πολλοῦ ἡρημένος excludit. Provinciam quidem quin suo iure adeptus sit sive sortitus sive extra ordinem, dubium non est, sed quo anno in Hispaniam ulteriorem, quae ei obvenerat, abierit, haud ita viri docti enucleaverunt, ut nihil reliquum sit dubitationis. In quaestionem vocantur duo tantum anni: anno enim 671 Sertorius cum ceteris Marianis apud Suessam rem gessit, anno 673 adversus eum C. Annus Luscus a Sulla missus est. Rerum scriptores comparandi sunt inter se Appianus Plutarchus<sup>2)</sup> Exuperantius, quorum ultimus Sertorium a Mario et Carbone consulibus — dicit autem Marius magnum — in Hispaniam citeriorem missum esse narrat, quae in re bis erravit. Secundum Appianum Sertorius post Suessam occupatam a. 671 actutum profectus est neque ex Plutarchi verbis *‘νεανίας Μάριος — ὑπατείαν ἔλαβε’* colligas necesse est profectum illum esse postquam Marius iunior magistratum inierit.<sup>3)</sup> At idem Plutarchus ultimam causam, quare

1) Cf. Mommsen R. G. II, 321 sq. Münzw. p. 599 n. 392; p. 600 n. 393. Drumann IV, 352 sq. A. R. Schneider, Quaestionum in Cic. pro M. Font. orat. capp. IV. Grimae 1876. 2) Plutarchi totum locum exscribere non alienum videtur: *Ἐπεὶ δὲ Μάριος ἐτελεύτησε καὶ Κίνας ἀνηρέθη μικρὸν ἕστερον, ὁ δὲ νεανίας Μάριος ἄκοντος αὐτοῦ παρὰ τοὺς νόμους ὑπατείαν ἔλαβε, Κάρβωνες δὲ καὶ Νωρβανοὶ καὶ Σκηπίωνες ἐπιόντι Σύλλᾳ κακῶς ἐπολέμων καὶ τὰ μὲν ἀνανδρία καὶ μαλακία τῶν στρατηγῶν ἐφθείρετο, τὰ δὲ οἱ προδιδόντες ἀπώλλυσαν, ἔργον δὲ οὐδὲν ἦν αὐτοῦ παρόντος τοῖς πράγμασι μαχθηρῶς ὑποφερομένοις διὰ τὸ χεῖρον φρονεῖν τοὺς μᾶλλον δυναμένους, τέλος δὲ Σύλλᾳ Σκηπίωνι παραστρατοπεδεύσας καὶ φιλοφρονούμενος ὡς εἰρήνης ἐσομένης διέφθειρε τὸ στράτευμα καὶ ταῦτα προλέγων Σκηπίωνι καὶ διδάσκων Σερτώριος οὐκ ἐπειθε, παντάπασιν ἀπογνοὺς τὴν πόλιν ὤρμησεν εἰς Ἰβηρίαν, ὡς, εἰ φθάσει τὴν ἐκεῖ κρατυνάμενος ἀρχὴν, καταφυγὴ τοῖς πταίουσιν ἐνταῦθα τῶν φίλων ἐσόμενος.* cf. Sall. hist. fr. 1, 57 D. *‘Cuius advorsa voluntate conloquio militum permissio corruptio facta paucorum et exercitus Sullae traditus est.’* cf. App. Ib. 108.

3) Drumann IV, 353 n. 75.

Sertorius iter celeriter fecerit, eam suppeditat, quod duces Mariani ad Suessam rem male gessissent. Neque id recte dixeris Sullam Sertorio, si a. 671 iam profectus esset, in Hispania consistendi facultatem per integrum annum daturum non fuisse.<sup>1)</sup> Id certe non debebat, sed a. 672 nescio an ne potuerit quidem propter Italici belli molem ducem exercitumque in Hispaniam mittere. Attamen e narratione Exuperantii erroribus deductis Sallustii<sup>2)</sup> fragmento collato manifestum fit Sertorium, antequam in provinciam abiret, Romae commoratum esse, opinor, ut socios et opes cogeret, et per Etruriam iter fecisse. Novi consules, qui interim magistratum inierant, quoniam vitia eorum castigabat, libenter eum decedere passi sunt.

In Livii epitome<sup>3)</sup> scriptum legitur Sertorium 'octavo ducatus sui anno' interfectum, bellum confectum esse anno fere decimo. De Sertorii morte idem tradit Eutropius.<sup>4)</sup> Quodsi proconsules, qui bellum Sertorianum confecerunt, a. 683, id quod postea apparebit, redierunt, initium belli secundum Livium cadit in annum 674, in eum videlicet, quo Sertorius ex Africa redierat et Lusitanorum princeps factus est; mortuus autem est a. 681. Itaque per annos 674 ad 681 pleraeque res a rerum scriptoribus traditae haud sine magnis dissensionibus disponendae sunt. Sallustii fragmentis bene adhibitis Drumannus rerum ordinem magnam partem recte constituit: quae emendanda reliquit, velut nomen eius, qui a. 674 Hispaniae ulteriori praefuit, vel quo anno Pompei litterae memoriae conservatae ad senatum missae sint, ac si quid restat, talibus in rebus Mommsenus alique sunt audiendi.

---

1) Drumann l. 1. 2) 1, 58 D. 'Cui nisi pariter obviam iretur'. E Sallustio enim hausisse videtur Exuperantius haec: 'tunc Sertorius de Marii potestate securus Romam venit et omnium coepit accusare segnitiam et ex multis promptissimis factis Sullae industriam laudare.' 3) 96. 4) 6, 1. Temere iste quidem, fortasse Sallustianarum historiarum initium falso interpretatus, M. Aemilio Lepido Q. Catulo consulibus et alia bella et Sertorianum exarsisse dicit, cum nihilo minus Sertorium octavo anno interfectum esse infra testetur.

Sertorius cum post annum 672 neque iure neque pro Mariana factione, sed suo nomine Hispaniam occupatam retinuerit, nimii in eius administratione essemus, si, quomodo cum Mithridate foedus inierit<sup>1)</sup> aut quid praeterea egerit, pluribus verbis explicaremus. Legati autem eius et quaestores nominandi sunt: Perperna, qui a. 677 copiarum Lepidi reliquias ei tradidit et a militibus coactus est summam imperii Sertorio permittere<sup>2)</sup>; Iulius Salinator contra C. Annium pugnasse dicitur<sup>3)</sup>, C. Herennium<sup>4)</sup> Pompeius devicit, L. Hirtulei quaestoris victoria et mors commemoratur<sup>5)</sup>, M. Marius ad Mithridatem missus est<sup>6)</sup>, Tarquitium eundem fortasse, qui C. Annii quaestor fuerat, alios Sallustius et Frontinus appellant, ubi de Sertorii morte verba faciunt.<sup>7)</sup>

672—673? C. Valerius Flaccus (*praetor*) imper. Galliae.

(M. Fonteius legat.)

Gran. Licin. p. 39 ed. Bonn. Et Murena ex Asia triumphavit. Et Valerius Flaccus ex Celtiberia et Gallia. Cic. Font. fr. A. 3, 6. Hispaniensis legatio consecuta est turbulentissimo rei publicae tempore, cum adventu L. Sullae [in Italiam] maximi exercitus civium dissiderent de iudiciis et legibus. cf. ib. 20, 45 (15, 35). Cic. Quinct. 6, 24. Roma egreditur a. d. II. K. Feb. Quinctius Scipione et Norbano coss. — ib. 7, 28. Confugit ad C. Flaccum imperatorem, qui tunc erat in provincia. cf. 25, 79. Caes. b. G. 1, 47.

Flaccus, siquidem idem est, quem Cicero a. 671 Galliae Narbonensis praesidem fuisse narrat, atque ille, cuius triumphum Licinianus commemorat post Pompei et Murenarum triumphum, cum Celtiberis conflixisse potest a. 671 vel 672 vel 673. Nam cum secundum Licinianum Pompeius, qui a. 648 prid. Kal. Oct. natus est<sup>8)</sup>, annos quinque et viginti natus, h.

1) Plut. Sert. 23. App. Mithr. 68. 2) Plut. Sert. 18. 3) Ib. 7.  
4) Sall. h. fr. 2, 96, 5. 5) Liv. ep. 90. 91. 6) Plut. Sert. 24. 7) Sall.  
h. fr. 3, 4. 5. Front. 2, 5, 31. 8) Quod enim ib. p. 21 de anno, quo  
Pompeius natus sit, dicitur, inepte interpolatum esse apparet. cf. praef.  
edit. Bonn. p. XVI.

e. a. 674 a. d. IV. Id. Mart. triumpharit<sup>1)</sup>, Murenam autem, sive is est sive Flaccus sive alius, qui in fastis triumphalibus post Sullam a. 673 triumphum egisse dicitur, certe ante Pompeium triumphasse consentaneum sit, Licinianus hic temporis ordinem observasse non potest. Mommsenus quidem, cum in libro, quem de re nummaria Romanorum scripsit<sup>2)</sup>, a. 673 C. Annum Lusum Hispaniam utramque e Sullae arbitrato obtinuisse dixisset, in historia sua Romana<sup>3)</sup> sic rem sibi composuit, ut Flaccus et Annius Lusca simul in Hispanias missi sint, alter ulterioris provinciae proconsul, alter citerioris, et postea: 'Spanien, inquit, unterwarf sich hierauf willig den sullanischen Beamten (um 673) und Flaccus focht glücklich mit den Kelten, durch deren Gebiet er marschirte, und mit den spanischen Keltiberern (674).' Hoc alterum mihi minus probabile videtur neque aliter rerum scriptorum silentium, cum de Annio Lusca dicant, satis mirum explicare possum nisi ita: Flaccus, qui Galliam provinciam Mariana factione rem publicam obtinente adeptus erat, cum Sulla in Italiam rediisset, aequae atque M. Fonteius ille absens pacem cum victore fecit, quam amicitiam ut confirmaret, Hispaniam illi reconciliare studuit<sup>4)</sup>, frustra quidem, ut videtur, cum C. Annum Lusum quoque mitti oporteret, attamen Sulla propter illa in se merita Flacco triumphum concessit.

673. C. Annius Lusca (*propraetor*) procos.

Plut. Sert. 7. Ὡς δὲ Σύλλαν μὲν ἐπυνθάνετο τῆς Ρώμης κρατεῖν, ἔρρειν δὲ τὴν Μαρίου καὶ Κάρβωνος στάσιν, αὐτίκα προσδοκῶν στρατιὰν διαπολεμήσουσαν αὐτῷ μεθ' ἡγεμόνος ἀφίξασθαι, φράγνυται τὰ Πυρρηναῖα ὄρη διὰ Ἰουλίου Σαλινάτορος ἑξακισχιλίους ὀπλίτας ἔχοντος. Καὶ μετ' οὐ πολὺ Γάϊος Ἄννιος ἐκπεμφθεὶς ὑπὸ Σύλλα καὶ τὸν Ἰούλιον ἀπρόσμαχον ὄρων ἐν ἀπόρῳ καθῆστο παρὰ ταῖς ὑπωρεῖαις. cf. Sall. h. fr. 1, 59 – 64. Liv. ep. 90. Oros. 5, 23.

1) Cf. Lange R. A. III, 169. Mommsen R. G. II, 332 annum 675 praebet. 2) p. 600 n. 393. 3) II, 331. 4) Num Flaccus et Fonteius οἱ πρότεροι στρατηγοί App. b. c. 1, 86?



Utramque provinciam C. Annium obtinuisse videri modo dictum est. Sertorius eo anno a continenti depulsus Pityusas insulas occupavit, deinde navali pugna victus in Africa bellum gessit. Quaestores Annii, quorum memoria nummis repertis conservata est, erant L. Fabius et C. Tarquitius.<sup>1)</sup>

674. M. Domitius Calvinus (*propraetor*) procos.

L. Fufidius *propraetor*.

Plut. Sert. 12. οὐ μόνον ἔθνῶν ἐκράτησε (Sertorius) μεγάλων καὶ πόλεις εἶλε πολλὰς, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀντιστρατήγων Κότταν μὲν ἐν τῷ περὶ τὴν Μελλαρίαν πορθμῷ κατεναμάχησε, Φουφίδιον δὲ τὸν ἄρχοντα τῆς Βαιτικῆς περὶ τὸν Βαῖτιν ἐτρέψατο δισχιλίους ἀποκτείνας Ῥωμαίων, Δομέτιον δὲ Καλουῖνον ἀνθύπατον ὄντα τῆς ἐτέρας Ἰβηρίας διὰ τοῦ ταμίου καταγωνισάμενος. cf. Sall. h. fr. 1, 66—69.

Apud Plutarchum cum traditum sit Δομέτιον δὲ καὶ Λούσιον, unde magna rerum perturbatio exorta est, quia Q. Caecili Metelli legatus, quem mox afferemus, intellegebatur, difficultates omnes removentur hac coniectura Δομέτιον δὲ Καλουῖνον, quam complures docti viri invenerunt.<sup>2)</sup> Proconsulari imperio Calvinum fuisse non Plutarchus solum, qui ἀντιστρατήγων et ἀνθύπατον consulto distinxit, sed Sallustius etiam diserte dixit: 'Domitium proconsulem ex citeriore Hispania cum omnibus copiis, quas paraverat, accessivit (sc. Fufidius<sup>3)</sup>).' L. Cottam, quem Plutarchus *propraetorem* fuisse vult haud dubie, miror quod Wehrmannus silentio praeteriit. Quem quamquam Hispaniae praefuisse negamus, extra ordinem tamen a Sulla classi praefectum eo missum esse nonne concedes? Sertorii quaestori, quem Plutarchus vicisse dicit, nomen erat Hirtuleio.<sup>4)</sup>

675—682. Q. Caecilius Metellus Pius procos. ult. H.

Plut. Sert. 12. καὶ Θωράνιον ἄλλον ἡγεμόνα τῶν ὑπὸ Μετέλλου πεμφθέντων μετὰ δυνάμεως ἀνεῖλεν.

1) Mommsen, Münzw. p. 600 n. 393. 2) Cf. Dietsch ad Sall. h. fr. 1, 69. Borghesi II, 11. Lange R. A. III, 176. Mommsen R. G. III, 21. Drumann IV, 355 difficultatem non effugit, neque Wehrmann f. pr. p. 33 offendit. 3) Cf. fr. 1, 68 et 1, 41, 21. 4) Flor. 3, 22, 6.

App. b. c. 1, 108. καὶ πρὸς Μέτελλον ἐπιπεμφθέντα ὑπὸ Σύλλα ἀπεμάχετο γενναίως. cf. Ib. 101. Liv. ep. 90. Eutr. 6, 1. Oros. 5, 23. Exup. 8.

Flor. 3, 22, 6. prima per legatos habita certamina, cum hinc Domitius et Thorius, inde Hirtulei proluderent.

Auctorum nemo Metellum consulem profectum esse dicit, et cum comitiis praetoriis Romae eum adfuisse constet<sup>1)</sup>, certum est e lege Cornelia<sup>2)</sup> eum provinciam nactum non ante annum 675 in Hispaniam pervenisse. Quo anno utrum utramque provinciam administraverit, an Calvino citerioris provinciae proconsuli imperium sit prorogatum, haud facile discernas. Rerum a Metello gestarum has potissimum referre consilio nostro convenit: a. 676 Galliae proconsulem L. Manlium, cuius nomen alii aliter tradiderunt, arcessivit, sed ille ab Hirtuleio devictus esse fertur.<sup>3)</sup> Inde ab a. 678 una cum Pompeio bellum ita gerebat, ut modo alter in altera provincia esset, modo coniunctis copiis pugnarent. Exeunte a. 679 Metellus in Galliam ad M. Fontium, qui proconsules multis rebus adiuvabat, recessit.<sup>4)</sup> Post aliquot proeliis prospere commissis, cum praesertim Sertorius interfectus esset, stolidae tarditati luxuriaeque totum se tradere incepit.<sup>5)</sup> Legati Metelli nominantur L. Domitius Ahenobarbus, quem Eutropius<sup>6)</sup> praetorem pro Calvino, ut videtur, vocat, L. Thorius Balbus<sup>7)</sup>, qui apud Plutarchum Thorianus dicitur, Cornelius Aquinus<sup>8)</sup>; C. Urbinus quaestor erat.<sup>9)</sup> De Titurio ambigitur, sitne Metelli legatus an Pompei.<sup>10)</sup> Nummos Metelli Hispanienses descripsit Mommsenus<sup>11)</sup>, de triumpho eius postea dicetur.

676. Q. Calidius proprætor cit. H.

Ps. Asc. in Verr. p. 145 Or. Q. Calidius M. Calidi orato-

1) Cic. Planc. 29, 68. cf. Val. Max. 5, 2, 7. 2) Cf. praef. p. 70.  
3) Plut. Sert. 12. Caes. b. G. 3, 20. Sall. h. fr. 1, 72. — nummos vide apud Borghesium I, 364. 4) Cf. Schneider l. l. p. 10 sqq. 5) Plut. Sert. 22. Macrob. Sat. 3, 13, 6—9. 6) 6, 1. 7) Cf. Cic. fin. 2, 20, 63.  
8) Plut. Sert. 13. 9) Sall. h. fr. 2, 23, de Memmio quaestore cf. p. 121 adn. 6. 10) Cf. Dietsch. ad Sall. h. fr. 2, 28. cf. ib. 70 de M. Terentio Varrone. 11) Münzw. p. 612.

toris pater ex praetura Hispaniensi accusatus a Gallio, pro quo postea Cicero dixit, atque damnatus est.

Q. Calidius tribunus plebis rogationem de Q. Metello Numidico revocando tulerat<sup>1)</sup>; quare cum praeturam peteret a. 674, Metellus Pius consul pro eo populo Romano supplicare non dubitavit et in iudicio Calidii post administrationem Hispaniensem accusati supplicavisset, ut ait Cicero<sup>2)</sup>, si Romae esse potuisset. Itaque quin aut quo anno in Hispania fuerit, dubium esse non potest. Citeriori provinciae eum adscripsimus, quia Metellus plerumque in ulteriore pugnavit.

677—682. Cn. Pompeius Magnus procos. ex senatusconsulto (cit. H.)

Liv. ep. 91. Cn. Pompeius cum adhuc eques Romanus esset, cum imperio consulari adversus Sertorium missus est. cf. App. b. c. 1, 108. Ib. 101. Plut. Sert. 18. Pomp. 17. auct. d. vir. ill. 77. Oros. 5, 23. Sall. h. fr. 2, 96.

Cic. de imp. Cn. Pomp. 21, 62. Quid tam inusitatum, quam ut, cum duo consules clarissimi fortissimique essent, eques Romanus ad bellum maximum formidulosissimumque pro consule mitteretur? Missus est. Quo quidem tempore, cum esset non nemo, qui diceret non oportere mitti hominem privatum pro consule, L. Philippus dixisse dicitur non se illum sua sententia pro consule, sed pro consulibus mittere. cf. Phil. 11, 8, 18.

Missus est Pompeius a. 677, sed cum et aliis rebus et a Gallis retardatus esset<sup>3)</sup>, vix ante exitum anni in Hispaniam pervenit.<sup>4)</sup> De rebus usque ad annum 679 a se gestis gloriosius ad senatum scripsit, quibus litteris auxilium petebat.<sup>5)</sup> Petenti ut senatus satisfaceret, Lucullus cos. 680 inprimis perfecit, cum metueret, ne Pompeius, id quod minitatus erat, in Italiam exercitum reduceret sibi imperium adversus Mithri-

---

1) Cf. p. 119 adn. 1.    2) Planc. 29, 70.    3) Cic. de imp. Cn. Pomp. 11, 30. Sall. h. fr. 2, 96, 5.    4) Cf. Mommsen R. G. III, 29.    5) Sall. h. fr. 2, 96.

datem eriperet.<sup>1)</sup> Communi consilio Pompeium una cum Metello bellum gessisse, prout res postulabat, supra demonstravimus. Per hiemem anni 680 apud M. Fonteium in Gallia se continuit.<sup>2)</sup> Sertorio et Perperna occisis Pompei unius opera et consilio Hispania pacata est resque plurimae denuo constitutae sunt. Tum lege Gellia Cornelia sancitum est, ut quos Pompeius imperator de consilii bellici sententia singillatim civitate donasset, cives Romani essent optimo iure.<sup>3)</sup> Legatorum Pompei, quos commemoremus, digni sunt hi: L. Afranius<sup>4)</sup>, cuius ope postea quoque contra Caesarem usus est, D. Laelius, qui proelio ad Lauronem commisso cecidit<sup>5)</sup>, denique C. Memmius, quem cum in exercitu Metelli tum Pompei quaestorem fuisse Cicero<sup>6)</sup> testatur. De victis Hispanis postquam tropaea in Pyrenaei iugis constituit<sup>7)</sup>, in Italiam Pompeius revertit et cum Metello a. 683 exeunte triumphum egit.<sup>8)</sup> Quo anno utrum proconsules vicarios in provinciis reliquerint an successores praetorii eos exceperint, e fontibus non apparet. Zumptius<sup>9)</sup> Cn. Aufidium Orestem alteram provinciam accepisse opinatur nullo scriptorum testimonio comprobatum, neque post Pompeium Hispaniam alteram consularem fuisse magis credo quam post Lucillum et Culleolum Macedoniam.

684. M. Pupius Piso Calpurnianus proprætor procos.

Ascon. in Pis. § 62. 'Irrisa est a te paulo ante M. Pisonis cupiditas triumphandi, a qua te longe dixisti abhorrere: qui etiamsi minus magnum bellum gesserat, istum honorem omittendum non putavit.' Fuit autem — — Pupius Piso iisdem temporibus quibus Cicero, sed tanto aetate maior, ut — — Biennio tamen serius quam

---

1) Plut. Pomp 20. 2) Liv. ep. 93. cf. p. 119 adn. 4. 3) Flor. 3, 22, 9. Plin. n. h. 3, 3 (4), 18. Strab. 3, 4, 10. — Cic. Balb. 8, 19. 15, 32. 33. 17, 38. 4) Plut. Sert. 19. 5) Sall. h. fr. 2, 16. cf. Obsequ. 58. 6) Balb. 2, 5. cf. Plut. Sert. 21. duos Memmios quaestores in Hispania fuisse docet Mommsen, Münzw. 597 sq. 7) Sall. h. fr. 4, 29. Strab. 3, 4, 1. 7. 8) Cf. Drumann IV, 383 n 55. Lange R. A. II, 630. De reliquiis Sertorianarum copiarum cf. Caes. b. G. 3, 20 — 27. Oros. 6, 8. Cic. Verr. accus. 5, 28, 72. 9) Stud. Rom. p. 53 sq.

Cicero consul fuit; triumphavit procos. de Hispania Q. Hortensio L. Metello Cretico coss. ante Ciceronis consulatum. cf. Cic. Flacc. 3, 6. 2, 5 (fr.). Pis. 26, 62. (C. I. L. I p. 173 n. 594.)

Quaestor fuerat Piso Calpurnianus a. 671<sup>1)</sup>, consul est factus a. 693<sup>2)</sup>; itaque praetura perfunctus Hispaniam provinciam sortitus erat, de qua cum a. 685 triumphasse dicatur, eo quem adscripsimus anno ibi eum fuisse necesse est. M. Pisonis quaestor erat L. Valerius Flaccus, quem Cicero a. 695 defendit.<sup>3)</sup> Utram provinciam habuerit, disceptari non potest.<sup>4)</sup> 686. × Antistius Vetus propraetor ult. H.

Vell. 2, 43, 4. et praetura quaesturaque mirabili virtute atque industria obita in Hispania, cum esset quaestor sub Vetere Antistio avo huius Veteris consularis atque pontificis. cf. Suet. Caes. 7. Dio 37, 52 (41, 24). Caes. b. Hisp. 42.

Plut. Caes. 5. *Θάψας δὲ τὴν γυναῖκα ταμίαν εἰς Ἰβηρίαν ἐνὶ τῶν στρατηγῶν Βέτερι συνεξῆλθεν, ὃν αὐτὸν τε τιμῶν ἀεὶ διετέλεσε καὶ τὸν υἱὸν πάλιν αὐτὸς ἄρχων ταμίαν ἐποίησε.*

Ulteriorem provinciam Antistium Veterem obtinuisse cum reliquorum auctorum tum Suetonii verba docent: 'Quaestori ulterior Hispania obvenit'; de tempore e Caesaris temporibus constat. Ceterum de Antistio Vetere patre nihil notum est, de Gaio filio infra dicendum erit.

Proximo anno qui propraetores in Hispania fuerint, nescimus; fortasse alter eorum erat C. Licinius Macer ille, qui annales scripsit, quem a. 688 a Cicerone praetore de repetundis damnatum esse constat.<sup>5)</sup> Eodem anno Pompeius plebiscito imperium infinitum adversus piratas nactus legatos suos imperio praetorio ornatos ad singula litora disposuit, ex quibus duo Ti. Claudius Nero et Manlius Torquatus Hispanias ob-

1) Cic. Verr. accus. 1, 14, 37. 2) Cic. Att. 1, 12, 4. 13, 6. 14, 1. 3) Cic. Flacc. 3, 6. cf. 2, 5 (de frugalitate Pisonis). 4) Praetura a. 684 functi sunt M'. Acilius Glabrio, L. Aurelius Cotta, M. Mummius. 5) Cic. Att. 1, 4, 2. Val. Max. 9, 12, 7.

servabant.<sup>1)</sup> L. Volcatium Tullum cos. a. 688, quoniam 689 Roma abesse videtur neque alia provincia vacat, Zumptius<sup>2)</sup> Hispaniae ulteriori adscripsit, quam coniecturam non praeterire quam sequi malui.

689. Cn. Calpurnius Piso qu. propr. ex senatusconsulto cit. H. I. L. A. p. 174. Cn. Calpurnius Cn. f. quaestor pro pr. ex S. C. provinciam Hispaniam obtinuit.

Sall. Cat. 19. Postea Piso in citeriorem Hispaniam quaestor pro praetore missus est adnitente Crasso — — Sed is Piso in provincia ab equitibus Hispanis, quos sine exercitu ductabat, iter faciens occisus est. cf. Cic. Sull. 24, 67 sq. Mur. 38, 82. Suet. Caes. 9. Dio 36, 44.

Postea, ait Sallustius, missus est, scilicet postquam Catilinae coniuratio prior L. Cotta L. Torquato coss. Nonis Februariis oppressa est.<sup>3)</sup> Occisus autem est Piso antequam Cicero orationem in toga candida habuit<sup>4)</sup>, et post Kal. Iun., quo tempore Catilina socios convocavit<sup>5)</sup>, aut, si tum mortuus iam erat, nuntius certe de morte eius Romam nondum allatus erat.<sup>6)</sup> Initio eius anni P. Sittius in ulteriorem Hispaniam profectus est, sive P. Sulla adhortante, ut coniurationem eo transferret, sive, quod Cicero ad Sullam defendendum affirmat, negotii cum Mauretaniae rege gerendi causa; in Mauretania eum iam esse sociis Catilina apud Sallustium ostendit.<sup>7)</sup>

692. C. Cosconius proprætor (*procos.*) ult. H.

Cic. Vatin. 5, 12. Post quaesturam exierisne legatus in ulteriorem Hispaniam C. Cosconio proconsule?

Cicero Sull. 14, 41 sq. — constitui senatores, qui omnia

---

1) Liv. ep. 99. App. Mithr. 95. Flor. 3, 6, 9. 2) l. l. p. 56. Praetores proximorum annorum collegit Hölzl, Fasti praetorii ab a. 687 usque ad a. 710. Lips. 1876. 3) Sall. Cat. 18. 4) Ascon. in or. in tog. cand. p. 117. 5) Sall. Cat. 17. in. cf. 21. 6) Nisi forte quis temere Sallustium illa oratione Pisonis mentionem fecisse credit. — Pisonem propterea in Hispaniam missum esse, quod is qui provinciam illam sortitus erat abire eo non potuit vel noluit, probabile est, sed num is consul fuerit (Zumpt l. l. p. 57) incertum est. 7) Cap. 21.

indicum (sc. Allobrog.) dicta interrogata responsa perscriberent — — C. Cosconium, qui tum erat praetor.

Praetor igitur Cosconius erat a. 691, mortuus est a. 695.<sup>1)</sup> P. Vatinius legatum eius Cicero exagitat, quod iter mirum in modum per Sardiniam et Africam confecerit, in Hispania sordidorum furtorum culpam contraxerit.<sup>2)</sup> Quis citeriorem provinciam administraverit, non habeo dicere. Ex iis autem, quibus provincias lege Cornelia sortiri licuit, quaeri nequit nisi de L. Roscio Othone et C. Sulpicio.<sup>3)</sup>

693. C. Iulius Caesar propraetor ult. H.

Suet. Caes. 18. Ex praetura ulteriorem sortitus Hispaniam retinentes creditores interventu sponsorum removit. cf. Plut. Caes. 5. Liv. ep. 103. App. b. c. 2, 8. Ib. 102. bell. Hisp. 42. Cic. Balb. 19, 43.

De praeturae Caesaris anno inter omnes constat; qua perfunctum ne exspectasse quidem dicit Suetonius, dum provinciae ornarentur. De Hispania quam bene cum aliis rebus tum iurisdictione instituta meritus sit, scriptores nonnulli testes sunt.<sup>4)</sup> Idem, qui aere alieno grandi tam brevi tempore expeditus sit, documento esse potest, quantam pecuniam imperatores e provinciis reportare potuerint. Sed Caesar imperatoris titulo a militibus ornatus, cum triumphi spem certam haberet, consulatum assequi quam triumphare maluit.<sup>5)</sup> Rediit autem a. 694 ineunte mense Iunio.<sup>6)</sup> Plutarchus, qui C. Antistium Veterem filium eius, cuius quaestor Caesar fuerat, Caesaris quaestorem factum esse narrat, utrum hunc annum 693 an posteriorem 709 in mente habeat, quo Antistius Vetus quaestor Caesaris Apameae Caecilium Bassum obsidebat<sup>7)</sup>, diiudicare non audeo. Sed posterius probabilius est propter aetatem patris et filii. L. Cornelius Balbus praefectus fabrum erat.<sup>8)</sup>

---

1) Cic. Att. 2, 19, 4. 2) Vat. 5, 13. 3) Cf. Hölzl p. 46. 4) Plut. Caes. 12. App. b. c. 2, 8. Cic. Balb. 19, 43. vectigalia, quae Metellus Pius Hispanis imposuerat, sustulit. cf. bell. Hisp. 42. 5) De lege Tullia de ambitu huc pertinenti cf. Lange R. A. III, 263. 6) Cic. Att. 2, 1, 9. cf. Drumann III, 187. 7) Cic. Att. 14, 9, 3. ad Brut. 1, 11. cf. Plut. Brut. 25. 8) Cic. Balb. 28, 63.

Quod Silanum cos. 692 citeriorem provinciam obtinuisse Zumptius suspicatur, nullo argumento nititur, ut ad annum 653 adnotavimus.

Proximo anno praetorios, qui Hispanias administrare poterint, habemus M. Valerium Messallam et L. Cornelium Lentulum Nigrum.<sup>1)</sup>

695. P. Cornelius Lentulus Spinther proprætor cit. H.

Caes. b. c. 1, 22. Caesaris in se beneficia exponit, quod per eum in collegium pontificum venerat, quod provinciam Hispaniam ex prætura habuerat, quod in petitione consulatus sublevatus.

Cic. fam. 1, 9, 13. Postea quam tu Hispaniam citeriorem cum imperio obtineres neque res publica consules haberet.

Lentulus Spinther quo anno prætor fuerit, non e Cicero- nis solum verbis cognoscitur, quibus Caesaris consulatum describit, sed ex eo quoque, quod a. 697 consul erat et aedilem curulem eum fuisse anno, quo Cicero consul fuerit, memoriae tradidit Plinius.<sup>2)</sup> Trium præter Lentulum prætorum a. 694 provinciae notae sunt, de Q. Caecilio Metello Nepote dubitamus.<sup>3)</sup> Duorum proximorum annorum nimium multi sunt, quorum provinciae incertae sunt, quam ut nomina afferamus.<sup>4)</sup>

698—699. Q. Caecilius Metellus Nepos procos.

698. Sex. Quinctilius Varus proprætor (*procos.*).

Dio 39, 54. Ἐν ᾧ δὲ ἐκεῖνα ἐγίνετο, καὶ ἡ Ἰβηρία ἐκινήθη, διὸ καὶ τῷ Πομπηίῳ προσετάχθη. ἐπαναστάντες γάρ τινες καὶ Οὐακκαίους προστησάμενοι μάχῃ μὲν ὑπὸ τοῦ Νέπωτος τοῦ Μετέλλου ἀπαράσκευοι ἔτ' ὄντες ἠττήθησαν, πολιορκοῦντι δ' αὐτῷ Κλουνίαν ἐπελθόντες ἀμείνους ἐγένοντο καὶ ἐκείνην οἱ μὲν περιεποιήσαντο, ἐτέρωθι δὲ ἐσφάλησαν οὐ μὴν ὥστε καὶ δι' ὀλίγου δουλωθῆναι, τῷ γὰρ πλήθει πολὺ τῶν ἐναντίων περιῆσαν, ὥστε καὶ τὸν Νέπωτα

1) Cf. Hölzl p. 47. 50.  
77, 268.

3) Cf. Hölzl p. 51.

2) n. h. 9, 39 (63), 137. cf. Cic. Brut.

4) Ib. p. 53 sqq.



*ἀγαπᾶν, ἂν τὴν ἡσυχίαν ἀκινδύτως ἄγῃ.* cf. Metell. ap. Cic. fam. 5, 3.

Asin. Poll. apud Cic. fam. 10, 32, 2. (Balbus quaestor) exules reduxit non horum temporum (sc. 711) sed illorum, quibus a seditiosis senatus trucidatus aut expulsus est Sex. Varo procos. cf. p. red. in sen. 9, 23.

Metellum Nepotem non prius quam versus finem mensis Aprilis in provinciam pervenire potuisse inde intellegas, quod conventus illius Lucensis particeps erat.<sup>1)</sup> Qui dum in Hispania citeriore haud ita prospere bellum gerit, P. Crassus Caesaris legatus in Aquitania cum veteribus Sertorianis militibus pugnavit.<sup>2)</sup> A. 698 ante comitia consularia provinciae consulares in annum 700 designantur<sup>3)</sup>, quas, cum aliae idoneae non fuerint, Hispaniam ulteriorem et Syriam fuisse Zumptius<sup>4)</sup> habet pro certo. Citerioris Hispaniae rationem haberi potuisse negat, quia Q. Caecilius Metellus maioris auctoritatis vir fuerit, quam cui successorem tam cito mitterent; qua ignominia Piso Macedoniae proconsul tum affectus est.<sup>5)</sup> Pompeius consul cum mense iam Aprili exeunte<sup>6)</sup> Syriam ambitioni suae satisfacturam non esse prae se tulisset, effecit, ut lege Trebonia utraque Hispania sibi committeretur. Quod — sic enim argumentatur Zumptius — nequaquam sibi sumpsisset, nisi interea, fortasse mense Maio, Metellum Nepotem mortuum esse Romam nuntiatum esset. Quae conclusio, cum proconsulis nullam apud rerum scriptores mentionem postea reperiamus, recte facta esse videretur, nisi hoc unum obstaret, quod Nepos ex novem illis consularibus, qui a. 700 Scaurum accusatum laudabant, unus fuisse dicitur.<sup>7)</sup> Etenim, licet tabellis eum laudasse credas, quo tandem tempore id eum fecisse arbitramur? Nullone verbo Ciceronem mortui viri testimonium prae ceteris ostentasse? Non possum adduci, ut credam. Quid igitur censendum videtur? Non mortem Nepotis opportunam

1) Plut. Crass. 14. Pomp. 51. Caes. 21. App. b. c. 2, 17. 2) Cf. p. 121 adn. 8. 3) Cic. d. provv. coss. 4) l. l. p. 77. cf. Lange R. A. III, 322. 328. 5) Cic. Pis. 36, 88. Ascon. in Pis. init. 6) Cic. Att. 4, 9, 1. 7) Ascon. in Scaur. § 46.

effecisse, ut Trebonius rogationem illam ferret, sed lege Trebonia Nepoti post biennium iustum successorem missum esse, mortuum autem esse Nepotem paulo post. — Praetorem a. 697 Sex. Quinctilium laudat Cicero oratione, quam post reditum in senatu habuit<sup>1)</sup>, quem eundem esse atque illum, qui ab Asinio Pollione apud Ciceronem nominatur, veri simillimum est.<sup>2)</sup> Num qui propraetor eum anno proximo exceperit, ignoramus.

699—703. 702—705? Cn. Pompeius Magnus procos. ex plebiscito.

Liv. ep. 105. idem (Cato), cum legem impediret, qua provinciae consulibus in quinquennium, Pompeio Hispaniae, Crasso Syria et Parthicum bellum dabantur, a. C. Trebonio tribuno plebis legis auctore in vincula ductus est. cf. Flor. 4, 2, 12. Eutr. 6, 18. auct. d. vir. ill. 57, 8. Vell. 2, 48, 1.

App. b. c. 2, 18. αἰρεθέντες δ' οὖν ὑπατοὶ Κράσσοσ τε καὶ Πομπήιος Καίσαρι μὲν ὡσπερ ὑπέστησαν τὴν ἑτέραν πενταετίαν προσεψηφίσαντο, τὰ δὲ ἔθνη διακληρούμενοι καὶ στρατιὰν ἐπ' αὐτοῖς ὁ μὲν Πομπήιος εἴλετο Ἰβηρίαν τε καὶ Λιβύην καὶ ἐς τὰσδε τοὺς φίλους περιπέμπων αὐτὸς ὑπέμεινεν ἐν Ῥώμῃ. cf. Dio 39, 33. Plut. Cat. min. 43. 45. Crass. 15. 16. Caes. 28. 36. Pomp. 52. 53.

Pompeius igitur Hispanias, non Africam, quam Appianus et Plutarchus addunt, plebiscito in quinquennium adeptus est, aut inde a die rogationis latae usque ad eundem diem anni 704 aut, quod Langio<sup>3)</sup> magis placet, a Kal. Ian. 699 usque ad ultimum diem anni 703. Perdifficilis mihi quidem etiam nunc videtur esse quaestio illa, quamvis egregio doctorum virorum acumine sit saepius tractata, ex quonam die imperium rogationibus talibus, quales erant Vatinia et Trebonia, delatum valuerit.<sup>4)</sup> Utramque enim constat medio fere consulum anno de provinciis iisdem consulibus assignandis sanxisse aliquid,

1) 9, 23. cf. Wehrmann. f. pr. a. 697. 2) Cf. Borghesi I, 310.  
3) R. A. III, 338. 4) Cf. Mommsen, Die Rechtsfrage zwischen Caesar und dem Senat. Zumpt l. l. p. 97 sqq.

quo senatus consulta priore anno de provinciis consularibus facta mutata vel remota sint<sup>1)</sup> et quo consules illi nescio quatenus lege Cornelia de provinciis liberati sint. Quodsi quis recte dixerit Caesarem lege Vatinia Galliarum imperium inde a Kal. Mart. 695 usque ad Kal. Mart. 700 adeptum esse, eidem nescio an censendum sit Pompeium quoque Hispaniarum imperium inde a Kal. Mart. 699 usque ad eundem diem anni 704 lege Trebonia obtinuisse. Mirum autem videtur, quod, cum Caesar post consulatum Romam reliquerit, Crassus consulatu fungens in provinciam abiit. Sed equidem hoc missum facio et ea, quae de Pompeio nota sunt, refero. Vituperabatur ille cum ab aliis<sup>2)</sup> tum a Caesare<sup>3)</sup>, quod post consulatum in provincias non abiret: 'in se novi generis imperia constitui, ut idem ad portas urbanis praesideat rebus et duas bellicosissimas provincias tot annis obtineat'; sic querebatur Caesar, quamquam idem<sup>4)</sup>: 'Nihil horum', inquit (exercitus videlicet et duces dicit), 'ad pacandas Hispanias, nihil ad usum provinciae provisum, quae propter diuturnitatem pacis nullum auxilium desideravit.' Rebelle Hispanos Caesar non debuit negare, nisi forte sine causa a. 698 consularis dux exercitusque contra eos missus erat. Habebat sane excusationem Pompeius curam annonae a. 697 mense Septembri sibi commissam<sup>5)</sup>; sed eo ipso, quod frumentariam provinciam alteramque prorsus contrariam in se cumulabat, mos maiorum violatus est.<sup>6)</sup> Quo accedit, quod a. 702 Kal. Mart. etiam consulatum tertium iniiit 'absens et solus, quod nulli alii unquam contigit.'<sup>7)</sup> Tum Pompeius lege sanxit, ut consules et praetores quinquennio demum, postquam urbanis magistratibus functi essent, in provincias mitterentur<sup>8)</sup>; idem Hispanias provincias in alterum temporis spatium plebiscito sibi deferendas curavit, quod spatium quinque iterum annorum fuisse narrat Dio, quattuor Plutarchus.<sup>9)</sup>

1) Neutra ante Maium mensem lata esse videtur; de senatus consultis cf. Suet. Caes. 19. Cic. Pis. 36, 58. cf. p. 126 adn. 3 et 4. 2) Plut. Pomp. 53. 3) Caes. b. c. 1, 85. 4) l. l. paulo ante. 5) App. b. c. 2, 18. Dio 39, 39. 6) Cf. Lange R. A. III, 343. 7) Liv. ep. 107. 8) Dio 40, 56. 9) App. b. c. 2, 24. *καὶ χρόνον ἕς τὴν ἀρχὴν ἑτέρον*

Iterum hic existit quaestio, unde initium capiat prorogatio illa, eone anno, quo rogatio lata est, sive eodem die sive Kal. Ian., an priore quinquennio peracto. In hanc sententiam legem Pompeiam Liciniam de imperio Caesari prorogando docti viri interpretati sunt.<sup>1)</sup> Utut est, habebat Pompeius provincias etiamtum, cum bellum civile exardescebat; numquam autem eo abiit, quamquam se iturum esse simulabat<sup>2)</sup> atque eundem ei esse nonnulli aperte dicebant.<sup>3)</sup> Legatos miserat primum duos: L. Afranium consularem et M. Petreium praetorium.<sup>4)</sup> Q. Cassius quaestor, cum Hispanos crudelitate incendisset, mox tumultu facto vulneratus est.<sup>5)</sup> Cicero<sup>6)</sup> quod Pompeio legatum se esse profiteretur ex Id. Ian. 701, ad provinciam frumentariam referendum est. Tertius autem in Hispania legatus M. Terentius Varro paulo ante bellum civile videtur in Hispaniam pervenisse<sup>7)</sup>, quem legatum pro quaestore fuisse Mommsenus<sup>8)</sup> arbitratur, idem Cn. Pisonem nummorum inscriptionibus repertum. Provincias exercitusque<sup>9)</sup> quo modo bello exorto inter se diviserint, plane exponit Caesar<sup>10)</sup> his verbis: 'Adventu L. Vibullii Rufi, quem a Pompeio missum in Hispaniam demonstratum est, Afranius et Petreius et Varro legati Pompei, quorum unus Hispaniam citeriorem tribus legionibus, alter ulteriorem a saltu Castulonensi ad Anam duabus legionibus, tertius ab Ana Vettonum agrum Lusitaniamque pari numero legionum obtinebat, officia inter se partiuntur'.<sup>11)</sup> Rebus ita constitutis, dum Caesar Pompeium ex Italia decedere cogit, per C. Fabium Hadrianum legatum Hispaniam occupavit.<sup>12)</sup>

*τῶ Πομπηίῳ προσεψηφίσαντο.* Dio 40, 56. Plut. Caes. 28 extr. Pomp. 55 extr. *eis ἄλλην τετραετίαν.* 1) Lange R. A. III, 339. cf. Mommsen, Rechtsfr. p. 50, n. 2. Zumpt, stud. Rom. p. 85 sqq. 2) Cic. Att. 5, 11, 3. 3) Caes. b. c. 1, 2. 9. cf. Cic. fam. 6, 6, 5. contra Att. 5, 11, 3. 4) Vell. 2, 48, 1. per triennium! 5) Caes. b. Alex. 48. 50. cf. infra ad a. 705. 6) Att. 4, 19, 2. 7) Cic. fam. 9, 13, 1 C. Subernius Calenus — cum vitandi belli causa profectus esset in Hispaniam cum M. Varrone ante bellum. 8) Münzw. p. 654 sq. 9) Unam legionem a. 701 Caesari permissam a. 704 repetivit, receptam in Italia retinuit. cf. Caes. b. G. 8, 54. App. b. c. 2, 29. Dio 40, 65. Plut. Caes. 29. Pomp. 57. 10) b. c. 1, 38. 11) De partitione illa provinciarum cf. praef. p. 68 adn. 1. 12) Caes.

Tum Caesar ipse proelio ad Ilerdam commisso Pompei legatis remotis provincias pacavit, civitatem Gaditanis donavit, quae postea lege Iulia confirmata est.<sup>1)</sup> Comites ei erant praeter Fabium et P. Sulpicium Rufum<sup>2)</sup> legatos et alii et Q. Cassius Longinus, qui cum anno ineunte urbem deseruisset, tribunus plebis esse ex lege desierat.<sup>3)</sup> Eum Caesar mense fere Octobri ex Hispania decedens provinciae praefectum reliquit; sed cum a. 705 Galliarum proconsul, antequam dictator factus esset et consul designatus liberum arbitrium provinciarum administrandarum a senatu accepisset<sup>4)</sup>, non potuerit Caesar quemquam iure Hispaniae praeficere, proximo demum anno Cassium in proconsulum seriem redigendum esse iudico.

706. M. Aemilius Lepidus propraetor.

Q. Cassius Longinus propraetor e. o.

App. b. c. 2, 48. ἡγεμονίας τε ἐς τὰ ἔθνη περιέπεμπεν ἢ ἐνήλλαττεν ἐφ' ἑαυτοῦ καταλέγων, ἐς μὲν Ἰβηρίαν Μάρκον Λέπιδον. cf. Dio 43, 1.

Caes. b. c. 2, 21. Provinciae Q. Cassium praeficit: huic IV legiones attribuit. cf. App. b. c. 2, 43.

Liv. ep. 111. propter Q. Cassii praetoris avaritiam crudelitatemque Cordubenses in Hispania cum duabus Varonianis legionibus a partibus Caesaris desciverunt. cf. Caes. b. Alex. 48 sqq. Dio 42, 15 sq.

Lepidus a. 705 praetor erat<sup>5)</sup>; ergo Caesar legem Corneliam observavit, cum Cassium extra ordinem pro praetore in Hispania reliquisset, ut supra iam diximus.<sup>6)</sup> Cum iam in eo esset, ut Cassius ex Caesaris sententia in Africam traiceret ad Iubam regem opprimendum, Hispanorum seditio exorta est. Quam cum exercitu suo infenso<sup>7)</sup> sedare non posset, Bogudem ex Mauritania, Lepidum e citeriore provincia arcessivit. Interim annus praeteriit, quamquam auctor belli Alexandrini id

b. c. 1, 37 sqq. Cic. Att. 8, 3, 7. 1) App. b. c. 2, 43. Liv. ep. 110. cf. ad a. 676. Cic. Balb. 15, 34, ad a. 548 praef. p. 66. 2) Caes. b. c. 1, 74. 3) Ib. 1, 5. 4) Cf. Lange R. A. III, 422. 5) Caes. b. c. 2, 21. 6) Errasse Wehrmannum de Cassii praetura docet Hölzl l. l. p. 76 sq. 7) Cf. de quaestura eius p. 129.

dicere omittit, certior enim iam factus erat Cassius de pugna Pharsalia, priusquam Lepidum arcessivit<sup>1)</sup>, neque Lepidi intercessione concordia militum perfecta erat, cum Cassii successor, qui a. 706 praetor urbanus fuerat<sup>2)</sup>, advenit. Cassius provincia relicta cum magna praeda in Ibero flumine interiit.<sup>3)</sup> Legatus ei erat alter Q. Cassius<sup>4)</sup>, quaestor M. Marcellus, seditionis princeps<sup>5)</sup>, tribunus militaris L. Titius.<sup>6)</sup> Lepido Caesar propter res tum gestas a. 707 triumphum concessit<sup>7)</sup> collegamque sibi consulatus fecit.<sup>8)</sup>

707 (—708). ? Q. Pedius }  
C. Trebonius } propriaetores procos.  
(*procos.*)

bell. Hisp. 2. Quibus rebus adductus, quos legatos ante exercitui praefecerat, Q. Pedium et Q. Fabium Maximum de suo adventu facit certiores (sc. Caesar. a. 708 fin.).

Dio 43, 31. Ἦσαν μὲν γὰρ ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ καὶ τοῦ Καίσαρος στρατηγοὶ Κόϊντος τε Φάβιος Μάξιμος καὶ Κόϊντος Πέδιος· οὐ μόντοι καὶ ἀξιόμαχοι οἱ νομιζόντες εἶναι αὐτοὶ τε ἡσύχαζον καὶ ἐκείνον σπουδῇ μετεπέμποντο.

Caes. b. Alex. 64. Sub idem tempus Trebonius proconsul ad provinciam obtinendam venit. cf. Dio 43, 29.

Trebonium a. 706 praetorem fuisse supra diximus, eodem anno Q. Pedius praetor erat<sup>9)</sup>, de Q. Fabio Maximo certum testimonium desideratur. Atqui Trebonius quin a. 707 provinciam ulteriorem obtinuerit nemini dubium est et M. Lepidum eodem anno triumphasse constat, nonne Q. Pedium quoque a. 707 citeriorem provinciam obtinuisse per se maxime veri simile est? Legem enim Corneliam Caesar, quantum poterat, observabat.<sup>10)</sup> Sed quid Fabio faciamus, quem una cum Pedio legatum vel στρατηγόν a Caesare missum esse dicunt, quem triumphasse etiam de Hispania constat? Tres proconsules Caesarem misisse persuadere mihi nequeo. Quod Fabius

1) B. Alex. 56. 2) Caes. b. c. 3, 20. 3) B. Alex. 64. Dio 42, 16.

4) B. Alex. 52. 5) Ib. 57 sqq. 6) Ib. 57. 7) Dio 43, 1. 8) Eutr. 6, 23. 9) Caes. b. c. 3, 22. 10) Cf. Hölzl p. 83. 85.

postea ad Mundam oppugnandam relictus esse dicitur<sup>1)</sup>, cum de Pedio nihil dicatur, hunc in citeriore provincia relictum esse testari videtur. Itaque Fabius tantum legatus, licet priore anno praetor fuerit, aut, quoniam triumphavit, post Trebonium expulsum propraeor ulteriori provinciae videtur praefuisse.<sup>2)</sup> De Trebonio enim iam dicendum est. Accessit sub finem anni 707 ex Africa Cn. Pompeius Magni filius a seditiosis militibus invitatus, qui cum in Balearibus diuturno impetu captis morbo retardaretur, seditiosi morae impatientes Trebonium expulerunt, praesertim cum audivissent Caesarem pugna ad Thapsum commissa C. Didium praefectum classi ad se misisse. Tum Pompeius advenit et Sexto fratre Labieno P. Atio Varo aliis ex Africa receptis ulteriorem Hispaniam brevi tempore totam occupavit et citerioris provinciae praesidem tantopere terruit, ut ille Caesarem ipsum arcesseret.<sup>3)</sup> Advenit Caesar sub finem anni<sup>4)</sup>, ut mireris, quam brevi Pompeius tantas res effecerit, sed reputandum est annum illum fastis a dictatore emendatis tribus mensibus fuisse longiorem.<sup>5)</sup> Pugna Mundsensi a. d. XVI. Kal. Apr. commissa<sup>6)</sup> Cn. Pompeius e Didii persequentis manibus elapsus paulo post a Caesonio interfectus est<sup>7)</sup>, Sextus effugit. Caesar, cum Gades pervenisset contionemque Hispali prid. Kal. Mai. habuisset<sup>8)</sup>, quamdiu ad res componendas remanserit in Hispania, non liquet. Romae expectabatur a Cicerone mense Sextili<sup>9)</sup>; triumphum egit cum Pedio et Fabio<sup>10)</sup>. Fabius et Trebonius a. 609 consules suffecti erant, in Fabii pridie Kal. Ian. mortui locum C. Caninius Rebilus, qui Caesaris legatus fuerat<sup>11)</sup>, creatus est, Q. Pedius a. 711 consulatum accepit. Praeter hos Hirtium Dolabellam

1) b. Hisp. 41. 2) Verum fere intellexisse Zumptius mihi videtur (comment. epigr. II, p. 226), sed pravis argumentis usus est. 3) Dio 43, 1. 28—31. bell. Hisp. 1. 4) App. b. c. 2, 103. 5) Cf. Mommsen, Röm. Chronologie p. 276 sqq. 6) bell. Hisp. 31. cf. C. I. L. I, p. 330. De Caesaris itinere in Hispaniam incredibili celeritate perfecto in praefatione p. 73 diximus. 7) Flor. 4, 2, 86. Dio 33, 40 (Caesennius Lento). Oros. 6, 16 falso Sex. Pompeium dicit. 8) Cic. Att. 13, 20, 1. b. Hisp. 40, 42. 9) Cic. Att. 13, 21, 6. cf. 37. 4. 47<sup>a</sup>, 47<sup>b</sup>, 1. 10) Plut. Caes. 56. Dio 43, 42. 11) b. Hisp. 35.

C. Octavium cum Caesare in Hispania fuisse notum est. Dum redit Caesar, Sex. Pompeium bellum in Hispania renovare certior factus est.<sup>1)</sup>

709. C. Albius Carrinas propraetor (ult. H.?).

App. b. c. 4, 83. ὧν ὁ Γάϊος πυνθανόμενος ἔπεμπε σὺν στρατῶ πλέονι Καρρίναν ἐκπολεμήσοντα Πομπήιον. ὃ δὲ καὶ τούτῳ κουφότερος ὧν ἐπεφαίνετο ἄφνω καὶ ἀφριπτάμενος ἠνώχλει καὶ πόλεις ἤδη τινὰς ἤρει βραχυτέρας τε καὶ μείζους.

Carrinas consul factus est a. 711, itaque a. 708 praetor fuisse potest.<sup>2)</sup> Citeriorem provinciam quis obtinuerit ignotum adhuc est.<sup>3)</sup>

710 (—711). M. Aemilius Lepidus procos. cit. H. et Gall. N.

C. Asinius Pollio propraetor.

App. b. c. 2, 107. ὑπάτους ἐς τὸ μέλλον ἀπέφηνεν αὐτόν τε καὶ Ἀντώνιον τὸν ἵππαρχον ἑαυτοῦ Λεπίδῳ προστάξας ἵππαρχεῖν ἀντὶ τοῦ Ἀντωνίου, ἄρχοντι μὲν Ἰβηρίας, ἡγεμονεύοντι δ' αὐτῆς διὰ φίλων. cf. Dio 43, 51. Vell. 2, 63.

App. b. c. 4, 84. καὶ ὁ Γάϊος ἔπεμψε τῷ Καρρίνῳ διάδοχον Ἀσίνιον Πωλίωνα πολεμεῖν Πομπηίῳ.

Lepidus mense Aprili ex senatus auctoritate cum Sex. Pompeio de pace agere incepit; tandem eum commovit, ut a bello desisteret et in Italiam rediret; Antonius eum restituendum senatus consulto curavit.<sup>4)</sup> Asinius Pollio, quem praetorem a. 709 fuisse veri simile est<sup>5)</sup>, initio anni bellum secundum Velleium praeclarum, secundum Dionem minime prosperum adversus Pompeium gessit.<sup>6)</sup> Lepidum Antonius et lege sua de pontifice maximo creando<sup>7)</sup> et supplicationibus, quas senatum ob pacem cum Sex. Pompeio factam decernere coegerat<sup>8)</sup>, sibi conciliavit, deinde initio fere mensis Decembris praetores

1) App. b. c. 4, 83. 2) Hölzl p. 88. 3) De reliquis anni 708 praetoribus cf. l. l. 4) Cic. Phil. 3, 9, 23. 5, 15, 40. 13, 4, 8. Att. 16, 1, 4. App. b. c. 3, 4. 4, 84. 94. Dio 45, 10. 48, 17. 5) Hölzl p. 90. 6) Vell. 2, 73, 2. Dio 45, 10. 7) Liv. ep. 117. Vell. 2, 63. 8) Cic. Phil. 3, 9, 23.



provincias in annum 711 inter se sortiri iussit.<sup>1)</sup> Hispaniae obvenisse videntur L. Cornelio Lentulo, fortasse Nigri flaminis Martialis filio, et Q. Cassio, quem supra Q. Cassii Longini in Hispania legatum cognovimus.<sup>2)</sup> Quae sortitio Cicerone auctore a senatu irrita facta est a. d. XII. Kal. Ian.; senatus consultum enim hunc in modum factum est: 'senatum ad summam rem publicam pertinere arbitrari a D. Bruto et L. Planco imperatoribus, consulibus designatis, itemque a ceteris, qui provincias obtinent, obtineri ex lege Iulia, quoad ex senatus consulto cuique eorum successum sit, eosque dare operam, ut eae provinciae atque exercitus in senati populiue Romani potestate praesidioque rei publicae sint.'<sup>3)</sup> Prorogatum igitur imperium est Lepido et Pollioni. Lentulus quidem provinciam iam pridem remisisse dicitur, cum Q. Cassius remittere nollet.<sup>4)</sup> Eodem fere tempore Lepidus, cum Antonium bello persequi iussus esset, suasor pacis cum illo consilia communicavit et prid. Kal. Quint. hostis rei publicae iudicatus est.<sup>5)</sup> Asinius Pollio autem, qui a senatus parte stare videbatur, mense Iunio Corduba profectus mense fere Septembri cum Antonio se coniunxit.<sup>6)</sup> Tum triumviratu rei publicae constituendae facto primum provincias Bononiae principes inter se partiti sunt.<sup>7)</sup> Lepidus prid. Kal. Ian. de Hispania triumphavit<sup>8)</sup>; legatos eius in provinciis remansisse arbitror.

712. M. Aemilius Lepidus IIvir leg. Tit. cos.

App. b. c. 4, 2 extr. ἔχειν Ἀντώνιον μὲν τὴν Κελτικὴν ἅπασαν ἄνευ τῆς συναφοῦς τοῖς Πυρηναίοις ὄρεσιν, ἣν παλαιὰν ἐκάλουν Κελτικὴν, ταύτης δὲ Λέπιδον ἄρχειν καὶ Ἰβηρίας ἐπὶ ταύτῃ. cf. Dio 46, 55. 47, 16. Plut. Ant. 19, 21. Cic. 46. Liv. ep. 120. Suet. Aug. 27. Flor. 4, 6. Eutr. 7, 2.

1) Cic. Phil. 3, 10, 24. 2) L. Lentulus Niger cand. cons. 695. Cic. Vat. 10, 25. de Cassio cf. p. 131. 3) Cic. Phil. 3, 15, 38. 4) Ib. 10, 25. 26. 5) Cic. fam. 10, 6. 27. 11, 18, 2. Phil. 13, 4, 7. — App. b. c. 3, 84. Plut. Ant. 18. Liv. ep. 119. Vell. 2, 63. 64. 6) Liv. ep. 120. Vell. 2, 63. App. b. c. 3, 97. 7) App. b. c. 4, 2 sqq. cf. ad a. 712. 8) C. I. L. I, p. 478.

Lepidus consul factus Romae remansit, dum Antonius et Octavianus bellum contra Brutum et Cassium gererent<sup>1)</sup>; legatos igitur auspiciis Lepidi Hispanias eo anno administrasse manifestum est. Altera provinciarum partitione post pugnam Philippensem facta Lepidus, quia in suspicionem cum Sex. Pompeio conspirandi vocabatur, ab Hispaniarum administratione remotus est.<sup>2)</sup>

713—723. C. Iulius Caesar Octavianus IIIvir.

Dio 48, 1. — τήν τε γὰρ ἀρχὴν αὐτίκα ἀνεδάσαντο καὶ Καίσαρι μὲν ἢ τε Ἰβηρία καὶ ἡ Νουμιδία, Ἀντωνίῳ δὲ ἢ τε Γαλατία καὶ ἡ Ἀφρική ἐγένετο. cf. App. b. c. 5, 3. Suet. Aug. 13.

Ex eo tempore Octavianum Hispanias retinuisse per totum triumviratus tempus constat.<sup>3)</sup> Restat igitur, ut proconsules, qui auspiciis eius Hispanias usque ad annum 723 deinceps administraverunt, quorum plerique ex inscriptionibus tantum triumphalibus cognoscuntur, in fastos redigamus. Sunt autem hi

713. C. Albius Carrinas procos.

App. b. c. 5, 26. Βόκχον δὲ τὸν Μαυρουσίῳ βασιλέα Λεύκιος (sc. Antonius) ἐπεισε πολεμεῖν Καρρίνα τῷ τὴν Ἰβηρίαν ἐπιτροπεύοντι τῷ Καίσαρι. cf. Dio 48, 45.

Carrinas consul suffectus erat a. 711, ulteriori Hispaniae a. 709 propraetorem eum praefuisse supra demonstratum est. Appiani<sup>4)</sup> verba legenti: Καίσαρι δὲ ἐν μὲν Καπύῃ τέσσαρα ἦν τέλη καὶ περὶ αὐτὸν αἱ στρατηγίδες, ἐξ δὲ ἕτερα Σαλουδινηνὸς ἦγεν ἐξ Ἰβηρίας — facile opinio existat Q. Salvidienum Rufum simul cum Carrinate Hispaniam administrasse; sed ex aliis locis<sup>5)</sup> perspicitur itinere nondum confecto eum ab Octaviano ad bellum Perusinum revocatum esse. Notandum videtur Appianum loco commemorato Bocchum vix recte dicere; constat enim Bogudem Africae ad occidentem vergenti praefuisse. Eundem Dio perhibet.<sup>6)</sup>

1) Plut. Ant. 21 extr. Dio 47, 20. 2) Dio 48, 1. App. b. c. 5, 3.

3) App. b. c. 5, 95. 134 sq. Dio 48, 54. Plut. Ant. 35. 4) b. c. 5, 24.

5) Ib. 20. cf. 27. 6) 48, 45. cf. Lange R. A. III, 566.

714. L. Antonius procos.

Sex. Peducaeus }  
Λεύκιος? } *procoss.?*

App. b. c. 5, 54. ὁ δὲ Καῖσαρ αὐτὸν (sc. L. Antonium) καὶ τέως ἐν θαύματι ἄγων οὐκ ἔφη μὲν οὐδὲ βουλόμενον ἐπάξασθαι κατ' ἀδελφοῦ, πιστεύσειν δὲ ὡς τοιῶδε ἀνδρὶ πᾶσαν Ἰβηρίαν καὶ τὸν ἐν αὐτῇ στρατὸν ὑποστρατηγούντων αὐτῷ τῶν νῦν ἡγουμένων αὐτῆς Πεδουκαίου τε καὶ Λευκίου.

Bello Perusino finito cum Octavianus Galliam Narbonensem Antonii provinciam in suam potestatem redegisset<sup>1)</sup>, L. Antonio, qui Marco fratri, si regnum affectaret, inimicum se fore declarabat, utramque Hispaniam permisit. Cuius cum postea mentio nusquam fiat, paulo post ibi mortuum esse veri simile est. Quos Appianus ὑποστρατηγοῦντας appellat, eorum alter videtur ille esse Sex. Peducaeus, quem Caesar a. 706 Sardiniae praefecerat<sup>2)</sup>, alter Lucius quis sit, equidem eruere non potui.

715—717. Cn. Domitius Calvinus procos.

Dio 48, 42. Ἐγένετο δὲ καὶ ἐν Ἰβηρίᾳ Κερητανῶν (sc. κίνησις) καὶ αὐτοὺς ὁ Καλουῖνος κατεστρέψατο — —, τυχῶν τε τῶν ἐπινικίων καίτοι τῆς Ἰβηρίας τῷ Καίσαρι προστεταγμένης (πρὸς γὰρ τὰς τῶν κρατούντων βουλήσεις καὶ αἱ τιμαὶ τοῖς ὑποστρατηγοῦσιν σφισιν ἐγίνοντο) τό τε χρυσίον τὸ παρὰ τῶν πόλεων ἐς αὐτὰ εἰωθὸς δίδασθαι ἐκ μόνων τῶν Ἰβηρικῶν ἔλαβε καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὸ μὲν τι ἐς τὴν ἐορτὴν ἀνάλωσε, τὸ δὲ δὴ πλεῖον ἐς τὸ βασίλειον.

Domitius Calvinus primum consul fuerat a. 701, iterum 714, proelio Pharsalio interfuit a Caesaris partibus<sup>3)</sup> et in Africam eundem secutus est.<sup>4)</sup> Quem usque ad annum 717 Hispaniis praefuisse triumpho eius probabile fit, qui in fastis ita traditur:

1) App. b. c. 5, 51. cf. Lange R. A. III, 569 n. 5. 2) Ib. p. 422 n. 9. 3) Caes. b. c. 3, 89. 4) bell. Afr. 86.

C. I. L. I, p. 461 (cf. p. 478):

CN · DOMITIVS · M · F · M · N · CALVINVS · AN · DCCXVII  
PROCOS · EX · HISPANIA · XVI · K · SEXTIL

718—719. C. Norbanus Flaccus procos.

C. I. L. I, p. 461 (cf. p. 478):

C · NORBANVS · C · F · FLACCVS · PROCOS · AN · DCCXIX  
EX · HISPANIA IIII IDVS OCTOBR

C. Norbanus Flaccus ad Philippos contra Brutum et Cassium pugnauerat<sup>1)</sup>, postea a. 716 consul factus est.

720. L. Marcius Philippus procos.

fast. tr. Barb. C. I. L. I, 478:

L · MARCIVS · PHILIPPVS · EX · HISPANIA · V · K  
MAI · TRIVMPHAVIT · PALMAM · dEDIT ·

Philippus, praetor a. 710<sup>2)</sup>, Augusti vitrici consulis a. 698 filius erat.

721. Ap. Claudius Pulcher procos.

fast. tr. Barb. C. I. L. I, 478:

AP · CLAVDIVS · PVLCER · EX · HISPANIA · K · IVN  
TPIVMPHAVIT · PALMAM · DEDIT

Reliquorum duorum annorum proconsules ignoti sunt.

---

1) App. b. c. 4, 87. Dio 47, 35. 2) Cic. Phil. 3, 10, 25.

---

## T A B U L A

## PRAESIDES\*)

a. n.	citerioris	Hispaniae et	ulterioris.
536—543 (?)	L. Cornelius Lentulus procos. C. Cornelius Cethegus procos. Cn. Cornelius Blasio procos. C. Sempronius Tuditanus praet. ( <i>procos.</i> ) † Q. Minucius Thermus praet. M. Porcius Cato cos. P. Manlius praet. Sex. Digitius praet. C. Flaminius praet. propr.	P. Cornelius Scipio procos. † Cn. Cornelius Scipio legat. ( <i>imprat.</i> ) † C. Claudius Nero propr. P. Cornelius P. f. Scipio procos. M. Iunius Silanus propr. L. Manlius Acidinus procos. L. Stertinius procos. L. Helvius praet. procos. (—559) Q. Fabius Buteo praet.	Ap. Claudius Nero praet. P. Cornelius Scipio Nasica praet. M. Fulvius Nobilior praet. ( <i>procos.</i> ) L. Aemilius Paulus praet. procos. P. Iunius Bruttus orator. C. L. P. P. L. T. aet. ( <i>procos.</i> ) † aet. ( <i>procos.</i> ) ( <i>procos.</i> )
543—544 (?)			
544—548			
549—553			
554			
555—556			
557			
558			
559			
560			
561—562			
563—564			
565			
566—567			
568—569			
570—571			
572—573			
574—575			
576—578			
579			
580			
581			
582			
583 (—584?)			
585			
586			

C. Licinius Nerva praet.  
? P. Rutilius Calvus praet.

M. Manilius praet.  
L. Calpurnius Piso praet. [ult. ?]  
L. Mummius praet.  
M. Atilius Serranus praet.  
Ser. Sulpicius Galba praet.  
C. Vetilius praet. † } [ult. ?]  
C. Plautius Hypsæus praet.  
X Claudius Unimanus praet.  
C. Nigidius Figulus praet.  
Q. Fabius Maximus Aemilianus cos.  
X Quinctius praet.  
Q. Fabius Maximus Servilianus cos.  
- - - - - procos.  
Q. Servilius Caepio cos.  
- - - - - procos.  
D. Iunius Brutus cos.  
- - - - - procos. (-621?)

C. Marius praet. (?)  
L. Calpurnius Piso Frugi praet. †  
Ser. Sulpicius Galba praet.  
Q. Servilius Caepio praet.  
- - - - -  
D. Iunius Silanus praet.  
L. Cornelius Dolabella (praet.) procos.  
- - - - -

Cn. Fulvius GILLO praet.  
? A. Licinius Nerva praet.  
Q. Fabius Labeo (praet.) procos. [cit. ?]  
M. Sergius (praet.) procos. [cit. ?]  
- - - - -  
- - - - -

Q. Fulvius Nobilior cos.  
M. Claudius Marcellus cos. III.  
L. Licinius Lucullus cos.  
- - - - -  
- - - - -  
- - - - -

C. Laelius Sapiens [610 ?]  
Q. Caecilius Metellus cos.  
Q. Caecilius Metellus procos.  
Q. Pompeius A. f. cos.  
- - - - - procos.

M. Popilius Laenas cos.  
- - - - - procos.  
C. Hostilius Mancinus cos.  
M. Aemilius Lepidus cos.

L. Furius Philus cos.  
Q. Calpurnius Piso cos.

P. Cornelius Scipio Africanus cos. II.  
Q. Fabius Maximus (Allobrogicus) praet. [cit. ?]  
- - - - -

M. Marius praet.

C. Caelius Caldus praet.

\*) Hac tabula qui uti vult ut recte utatur, is conferat p. 69 adn. 2. Simul moneo eos viros, quibus crucem addidi, aut in itinere aut in ipsa provincia mortem occubuisse.

## PRAESIDES

a. u.	citerioris	Hispaniae et ulterioris.
656	T. Didius cos.	—
657—660	- - - procos.	P. Licinius Crassus Dives cos.
661	C. Valerius Flaccus cos.	P. Cornelius Scipio Nasica praet.
672?	(C. Valerius Flaccus ( <i>propr.</i> ) imper. Gall.)	Q. Sertorius <i>propr.</i> (—681).
673	C. Annius Luscus ( <i>propr.</i> ) procos. [cit.?)	L. Fufidius <i>propr.</i>
674	M. Domitius Calvinus ( <i>propr.</i> ) procos.	Q. Caecilius Metellus Pius procos.
675—682	—	- - - - -
676	Q. Calidius <i>propr.</i>	- - - - -
677—682	Cn. Pompeius Magnus procos.	- - - - -
684	—	M. Pupius Piso Calpurnianus <i>propr.</i> procos. [ult.?)
686	—	× Antistius Vetus <i>propr.</i>
689	Cn. Calpurnius Piso <i>qu.</i> <i>propr.</i> †	—
692	—	C. Cosconius <i>propr.</i> ( <i>procos.</i> )
693	—	O. Iulius Caesar <i>propr.</i>
695	P. Cornelius Lentulus Spinther <i>propr.</i>	—
698	Q. Caecilius Metellus Nepos procos.	Sex. Quinctilius Varus <i>propr.</i> ( <i>procos.</i> )
699	—	—
700—705	—	—
706	M. Aemilius Lepidus <i>propr.</i>	Cn. Pompeius Magnus procos.
707 (—708)	? Q. Pedius <i>propr.</i> procos.	(L. Afranius consularis M. Petreius praetorius M. Terentius Varro legati.)
709	—	Q. Cassius Longinus <i>propr.</i> (ab 705.)
710 (—711)	M. Aemilius Lepidus procos.	C. Trebonius <i>propr.</i> ( <i>procos.</i> )
712	—	C. Albius Carrinas <i>propr.</i> [ult.?)
713—723	—	C. Asinius Pollio <i>propr.</i>
713	M. Aemilius Lepidus IIIvir cos.	M. Aemilius Lepidus IIIvir cos.
714	L. Antonius procos.	C. Iulius Caesar Octavianus IIIvir procos.
715—717	{ Sex. Peducaeus [cit.?)	C. Albius Carrinas procos.
718—719	Lucius ? [ult.?)	L. Antonius procos.
720	Cn. Domitius Calvinus procos.	Cn. Domitius Calvinus procos.
721	C. Norbanus Flaccus procos.	C. Norbanus Flaccus procos.
	L. Marcus Philippus procos.?	L. Marcus Philippus procos.?
	Ap. Claudius Pulcher procos.?	Ap. Claudius Pulcher procos.?

